NAZIONALE
8
19 E
64/17
ROMA
CENTRALE V. E.

Q. 397.

VI D. 77 b. 2

IN HABACVK PROPHETAM Homeliæ 28. habitæ in Regia, anno M.D.LXXVI.

Per F. THOMAM BEAVXAMIS *Pariſinum, Doctorem Theologum, Carmelitam.*

Quibus ſub Iſraëliticæ Reipublicæ typo, noſtrorum temporum calamitates, & quid timẽdum, quidque ſperandum ſit, proponitur.

Bibliothecæ S. Mariæ Transpontinæ

PARISIIS,
Apud Guilelmum Chaudiere, via Iacobęa, ſub Temporis inſigni, & Hominis ſilueſtris.
M.D.LXXVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

8 19-E-64

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAr Priuilege du Roy eſt defendu à tous Libraires, Imprimeurs & autres qu'il appartiendra, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, d'imprimer, vendre, ou diſtribuer aucunes Oeuures de F. Thomas Beauxamis, Religieux Docteur en Theologie en l'Vniuerſité de Paris, ſoit de ſon inuention ou traduction, tant Latin que François, ſinon au Libraire, ou Imprimeur, auquel ledit Beauxamis aura dõné charge & puiſſance: & ce iuſques au temps & terme de dix ans entiers & conſecutifs apres la premiere impreſſion, qui ſera faite de chacune deſdites Oeuures, inuentions ou traductions: ſur peine de confiſcation des liures imprimez par autres, & d'amende arbitraire, ainſi qu'il eſt plus amplement contenu eſdites lettres du Priuilege, ſur ce donnees à Poictiers le ſeizieſme iour d'Aouſt, l'an de grace Mil cinq cens ſoixante & dixſept.

Par le Roy en ſon Conſeil.

PINART.

Ledit Beauxamis a permis à Guillaume Chaudiere, Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & diſtribuer ce preſent liure intitulé In Habacuk Prophetam Homiliæ 28. habitæ in Regia, anno M.D.L.XXVI. Per F. Thomam Beauxamis Pariſinum, Doctorem Theologum, Carmelitam. *ſuiuant le Priuilege extraict d'icelluy cy deſſus mentionné: & ce pour l'eſpace de dix ans depuis la premiere edition, faict & paſſé le Ieudi xvii. iour d'Octobre. 1577.*

REVERENDISSIMO DOMINO MEO D. CARDINALI *Peluæo, Archiepiſcopo Senonenſi.*

HIS TVRBVLENTIS temporibus, cùm primùm Illuſtriſsima Princeps Regina mater Chriſtianiſsimor. Regum, me in ſuum concionatorem delegiſſet, Reuerendiſsime Cardinalis, magnum hoc, & humeris meis onus impar eſſe iudicaui. Nam præter aduerſam corporis valetudinem, quæ me tot aulicis laboribus diu ſupereſſe nõ ſineret: commouebat me tantorum Principum authoritas, quibus, vt aliquando Antigonus docuit, nec ex tabellis dicendum, neque vt turba vtẽdum eſt. Vrgebat etiã me, apud multos de aulicis concepta opinio, quòd illorum nonnulli nõ aliter

concionatores ſuſciperent, quàm Dionyſius iunior olim liberalium artium Doctores: non quòd illos admiraretur, ſed vt ſcribit Plutarchus, δι' ἐκείνων θαυμάζεσθαι βουλόμενος. Conſiderabam miſerum noſtræ Religionis & Reipub. ſtatum, qui maiores animos, & fortiora latera in concionatorẽ requireret, maximè apud eos, in quos rerum cardo vertitur: vbi ſi quis dicenda ſuppreſſerit, quaſi Dei & Religionis deſertor habeatur. Interim tamẽ eo ſemper fui animo, vt ita publicarum perſonarum decorum ab Eccleſiaſte obſeruetur, ne dum quæ ſunt magiſtratus explicat, ſubditis offendiculum ingerat. Itaque cùm hæc apud me meditarer, parum abfuit, quin ex ipſo ſtatim veſtibulo pedem retraherẽ: niſi nonnulli animum adieciſſent. Monebant longè alia Regum & Principum quàm vulgi eſſe conſilia: Deum illos potiſsimùm dirigere, & ab illius ſpiritu profectum eſſe, vt illuſtriſſ. Regina me, nihil eorum cogitantem, ſed tum fortè cum Reuerendo Epiſcopo Pariſiẽſi Mœcenate meo in Britanniam profectum, aduocaret. Nec quidem

oneris me difficultate reuocari debere, cùm ſponſorem habeam ſpiritum Domini, vbi meam in eum fiduciam coniecerim. Durum quidẽ eſſe contra ſtimulum calcitrare, prę́ſertim cùm incumbẽte neceſſitate, Væ ſuccedat ei, qui non euangelizauerit. His &aliis rationibus inductus, audere aliquid cœpi, ſed(vtar enim verbis Pauli) ἐν ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ. Et, cùm prædicatio noſtra non conſiſtat in humanæ ſapientiæ verbis, ſperabam ἐν ἀποδείξει πνεύματος rectè ſucceſſura omnia. Ad eam rem, temporum, calamitatum, & perſonarum ratione habita, ex ſacris ſcripturis quædam ſeligenda fuerunt, quorum interpretatio nunc quid cauendum, modò quid ſequendum, tandem quid ſperandum ſit, oſtenderet. Nuper autem elapſis diebus, quibus Chriſti ſacer aduentus ſolenni Eccleſiæ commemoratione recolitur, ad vſque ſanctiſſimum Natalem, cùm non ſuppeterent Euangelia, Habacuk Prophetæ vaticinium proſecutus ſum. Conferebam tempora illa, quæ lugendi & conquerendi argumentum Prophetæ tribuerunt,

Act. 9.

1. Cor. 9.

1. Cor. 2.

his noſtris temporibus, mala malis: ita tamen vt ſimul cum Propheta ſperandum & aliquando tandem, nos ex his calamitatibus per Chriſtum emerſuros eſſe concluderem, ſi modò eius conſiliũ audiamus & ſequamur. Verùm hæc, etſi non tam expreſſis verbis, quibus Gallis loqui conueniebat, in ipſius Prophetę explicatione audientur. Has conciones, qualeſcunque ſint, in ærarium Domini mittendas duxi: ne fortè ſit, qui adulationem in aulicis concionatoribus requiri exiſtiment. Quis enim eorum, qui generoſo animo Chriſti cauſam ſuſcipiunt, non potiùs id Achillis ad Calchanta conſilium ſuggeſſerit,

Hom. Il. α. Θαρσήσας μάλα εἰπὲ θεοπρόπιον ὅτι οἶσθα.

Et quoniam plurima ſunt tua in me beneficia, Ampliſſ. Cardinalis, has Homelias, quæ tum primùm ſeſe obtulerunt, in meæ gratitudinis ſymbolum tranſmiſi. Nec dubito, quin tu noſtræ Franciæ decus, qui ante Cardinalatus inſigne librum De cultu Sanctorum à me grato animo ſuſcepiſti, idem etiam nunc facias: maximè cùm conciones iſtas Chriſtianiſſ. Rex noſter nõnullas, omnes ve-

rò illuſtriſſ. Regina mater audierit. Interim ſummũ numen imploro, vt tuam amplitudinem, & eos omnes qui pro tuenda Chriſti Catholica & Apoſtolica Eccleſia inuigilant, eiúſque communem cauſam ſuſcipiunt, nobis conſeruet incolumes.

E Carmelo Pariſino, hac Octobris vigeſima, an. 1577.

V. Amplitudini
Obſequentiſſ.

F. Thomas Beauxamis Carmelita.

IN HABACVK PROPHETAM.

HOMELIA I.

Onus quod vidit Habacuk Propheta. Quouſque Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor vim patiens, & non ſaluabis?

ETſi magna ſit in patrib⁹ filiorũ dilectio, hæc tamen eò non tẽdit, vt correctionem filiorum auocet, ſi quando peccauerint. Immò verò, vt Salomon admonet, quem diligit pater filium caſtigat. Et, Noli, inquit, ſubtrahere à puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Ad eundem quidem modum magna eſt Dei in nos charitas, immò quæ nec explicari, aut comprehendi poſſit. In ipſo etenim viuimus, mouemur, & ſumus. Et præter hæc commendat

Prou. 23.

Act. 17.

maximam illam erga nos dilectionem, quia proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo repararet. Interim tamen ardorem ſuæ charitatis ita temperat, vt ſi quando eius obliuiſcamur, nec virgæ nec afflictionibus parcat, quæ nos ad mentem reducant. Ego, inquit,
Oſee. 2. quos amo, caſtigo. Et per Prophetam, Sæpiam viam tuam ſpinis, ne fornicaria abeat ad virum alterum. Nam afflictionibus, morbis, ignominia, & conſcientiæ verme nos ad ſe reducit.

Summa huius Proph. Hoc quidem in ipſo Prophetiæ limine Habacuk conſiderans, piorum, ceu fidelium omniũ perſonam præ ſe fert, qui ſe ab impiis affligi, nec ſtatim tandem eripi conquerantur. Primo enim capite effrænem quorũcunque Barbarorum, infidelium, hæreticorum, & impiorũ contra electos Dei, fideles, & pios licentiam, ſub Iſraëlitici populi typo depingit. Secundo verò, reſponſum diuinum attẽdit, quo pios ab impiis eripiẽdos, & iuſtè confundendos quoſque infideles confidẽter expectat. Tertio denique, gratiarum actionem cantico comprehendit, prædicens Chriſti incarnationem, paſſionẽ, deſtructionẽ mortis, inferni ſpoliationem, reſurrectionem, & celeberrimã illam victoriã, reductionẽ totius populi ad vnum paſtorem & vnũ ouile. Ex quo efficitur, vt nulla ſit tanta afflictio, cui nõ aliquando piorum Eccleſia præualeat. Hoc tan-

tùm à nobis requiritur, vt quod noſtrũ eſt, exequamur, & in Domino confidamus. Hæc enim eſt concluſio, *Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.* Habet ergo hæc Prophetia terrores, cõſolationes, promiſſiones, & certiſſimam diuinæ beneficentiæ expectationem.

Cęterùm dicendũ eſt quis fuerit Habacuk, quo tempore & quibus prophetauerit, quidque titulus iſte eius vaticinij ſignificet. Epiphanius libr. De vita & interitu Prophetarum, illum ex agro Bexzochar de tribu Symeon oriundum fuiſſe ſcribit: & cum illo Hieronymus, hunc ipſum eſſe, qui ab Angelo è Iudæa in Babylonem tranſportatus fuerit, & prandium Danieli in lacum leonum deiecto detulerit. Attamen Chaldęus interpres R. Ionathas in ipſo huius Prophetiæ explicationis initio, illum Sunamitidis filium fuiſſe dicit, quem Heliſæus mortuum ſuſcitauit. Sed & liber Hebræorum, qui Mundi ſeries dicitur, ipſum cum Ioël & Nahum ad Manaſſis regis tempora reducit. Interim manifeſtum eſt, illum eo tempore propheta ſſe, quo iam duæ tribus, quæ ad Iuda referebantur, in captiuitatem deductæ fuerant. Prophetia autem eius eſt contra Babylonem & Nabuchodonozor regem Chaldęorum, inquit Hieronymus: vt quomodo prior Propheta Nahum, quem Habacuk ſequitur, vaticiniũ habuit contra Niniuẽ & Aſſyrios, qui vaſtauerũt decẽ tribus, quę vocabãtur Iſraël:

Hier Pro. in Habac.

Hierony. in Prol.

ita Habacuk Prophetiam habeat aduerſus Babylonem & Nabuchodonozor, à quibus Iuda & Hieruſalem, templumque ſubuerſa ſunt. Quemadmodum Dauid in ſpiritu præuidens illam populi in Babylone captiuitatē, deflentes Iſraëlitas inducit, & impiorum inſultus & opprobria explicat, tandē verò hæc concludit: Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Ita ſanè Propheta hic noſter ſui primùm populi cladem, tandem verò diuinam aduerſus impios vindictam proponit: Perſas & Medos nimirùm vēturos, qui parem Babyloniis vicem repēdāt, quam illi Iſraëlitis intulerant. Prædicit enim deſtruendum Babylonicum imperium per Darium & Cyrum: qui tandem etiam libertate donaturi eſſent populum Iſraël, vt in Eſ-
1. Eſd. 1. dra legimus. Faciet itaque huius Prophetiæ meditatio ad magnificandam Dei iuſtitiam & benignitatem. Nam & nos propter peccata noſtra ab impiis, Turcis, ſchiſmaticis, & hæreticis affligi permittit. Benignè tamen facturus eſt in bona voluntate ſua Syoni, vt ædificentur muri Hieruſalem: & aliquando tandem ex iſta captiuitate emergat Eccleſia. Nec patietur nos tentari vltra id quod poſſumus, ſed faciet cum tentatione prouentum. Nec tamdiu permiſſurus eſt ambitioſam iſtam impiorum licentiam: ſed ſicut deficit fumus, deficiēt, & ſicut fluit cera à facie

ignis, ſic fugiēt peccatores à facie Dei: vt iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.

Cæterum Hieronymus alludit ad dictionem *Hauac*, é qua nomen Habacuk profluit. *Hauac* autem complicare, ceu amplecti ſignificat. Et hic, inquit, vel ex eo quòd amabilis domini eſt, vocatur amplexatio, vel quòd in certamen & luctam, &, vt ita dicam, amplexũ cum Deo congreditur, amplexantis, id eſt luctantis, ſortitus eſt nomen. ſic nimirùm & olim Iacob dicitur cum Domino, ſed alio modo, luctatus eſſe. Nullus verò tam audaci voce auſus eſt Deum ad diſceptationem iuſtitiæ prouocare, & dicere ei: Cur in rebus humanis & mundi iſtius pompa tanta verſatur iniquitas? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? *Hiero in Prol. ad Chromat.*

Magnum autem quaſi rapti animi affectum notat iſte titulus, *Onus quod vidit Habacuk Propheta*. Quod Onus legimus, Septuaginta interpretes vertunt τὸ λῆμμα, aſſumptionem. Theophilactus hinc Prophetiam nuncupari dicit, ſiue quòd accipitur ex Deo tradita, ſiue propter Propheticæ mentis acceptionem, & ab humanis ad diuinas reuelationes tranſlationem. Dictio Hebraica *Hamiſſa* à *Naſſa* deducitur, quæ ferre, tollere, eleuare ſignificat, ex qua etiam Onus, denominatur. Hinc autem ferè omnes illud dici cenſent, quòd comminatio ſit, ceu certa prædictio magnarum afflictionum, quæ ceruices *Enarrat. in Habac.*

quantũuis elatas facilè incuruare valeãt. Sic
Pſal 38. Oneris nomẽ agnouit Dauid, dicẽs: Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Incuruatus ſum & humiliatus ſum nimis, à facie inſipientiæ meæ. Simile autẽ eſt oneri pharetra, gladius, & vaſa mortis, arcus, & cætera omnia, quæ Prophetæ impiis à Deo parari ſcribunt. Vt cùm Pſaltes ait, Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Nudè autem hoc Chriſtus explicat in Samaritis, dicens: Niſi conuerſi fueritis, omnes ſimul peribitis. Lyranus ſic interpretatur, *Onus*, id eſt Prophetia de malo pœnæ vẽturo ſuper regnũ Babyloniæ. Hoc etiam Onus eſt contra eos, qui Chriſti Eccleſiam opprimunt, quòd tandem vbi ſatis in rabiem contra pios deſpumauerint, exactæ diuinæ patientiæ longanimitate vindices, ſũmi illius numinis pœnas accepturi ſint. Lẽto enim gradu diuina procedit ira, ſed tarditatẽ ſupplicij grauitate cõpenſat.

Verùm fortaſſè aliquis differat, quomodo Propheta *Onus* vocet ea quæ prædicit, cùm nec Chriſtus onera probet, quæ immittuntur humeris hominum: & de ſua doctrina dicat, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Sed hoc facilè ſoluitur, ſi modò eorum rationem habeamus, quos ſpectant iſtæ comminationes. Nec enim poteſtas bono timorẽ incutit, neque cõminatio & onus ad pios, ſed ad impios refertur. Piis omnia leuia ſunt; &

diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Multa tamē flagella peccatoris, licet ſperantē in Domino miſericordia circundatura ſit, vt qui Dei ſalutares admonitiones contēpſerūt, horribili diuini iudicij ſentētia, vel inuiti premantur. Nā qui cōuerſi fuerint, quomodo nō eius clemētiā experiantur? Ecce, inquit per Hieremiā Dominus, fingo ego cōtra vos malū, & cogito cōtra vos cogitationē. Reuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra. Nā repētè loquar aduerſus regnū & aduerſus gētem, vt eradicē & deſtruā & diſperdā illud. Si pœnitentiā egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eā, agā & ego pœnitentiā ſuper malo, quod cogitaui vt facerē ei. Hoc etiā in Chriſto perpendamus. Licet enim fidelis ſit ſermo, & omni acceptione dignus, vt ſcribit Paulus, quòd Chriſtus Ieſus venerit in hunc mundū peccatores ſaluos facere: num tamē idē ipſe in ruinā & reſurrectionē multorū poſitus eſt? nū in petrā ſcādali? ſed ignorātibus illū. Hinc fit vt idē ipſe ſalutē repromittat Gentibus credituris, & reprobet infideles Iſraëlitas. Nō enim eſt perſonarū acceptor Deus, ſed in omni gente qui facit iuſtitiam, acceptus eſt illi. Itaque *Onus* ad impios, prophanos quoſque, & peccatores refertur, quos diuinæ maieſtatis ſeueritas concutere debeat. Terribilis enim eſt expectatio illa iudicij, quæ conſumptura eſt aduerſarios.

Rom. 13.

Hiere. 17.

Porrò tres Prophetæ, Nahum, Habacuk, &

Malachias, eodem *Oneris* titulo præfantur. Zacharias in medio & circa finẽ duos huiuſcemodi præmittũt, quorũ vnus eſt: Onus Domini in terra Adach & Damaſci. Et alter: Onus verbi Domini ſuper Iſraël. Eſaias autem hoc titulo frequentiſſimè vtitur; vt & capite 21. vbi præfatus, Onus deſerti maris, mox ſe exponit, inquiens: Viſio dura eſt oſtenſa mihi. Quia autem hanc vocem Prophetę frequenter vſurpabant, quoties ſcilicet & peccatorum & ſuppliciorum grauitatem, diuináſque comminationes exaggerabant: hinc factũ eſt, vt populus duræ ceruicis, & incircuncisi cordis, petulanti quadam contumelia eorũ conciones, velut duras, aſperas, & intolerabiles reiicerẽt. Atqui Hieremias Propheta cap. 23. his eos verbis perſtringit. Si igitur interrogauerit te populus iſte, vel Propheta, aut ſacerdos, dicens, Quod eſt onus Domini? dices ad eos, vt quid vobis onꝰ? Proiiciã quippè vos, dicit Dominus. Et Propheta, & ſacerdos, & populus qui dicit, Onus Domini: viſitabo ſuper virũ illum, & ſuper domum eius. Hæc dicetis vnuſquiſque ad proximũ & ad fratrẽ ſuũ. Quid reſpondet Dominus, & quid locutus eſt Dominus? Et onus Domini vltrà non morabitur, quia onus erit vnicuique ſermo ſuus: & peruertiſtis verba Dei viuẽtis, Domini exercituum, Dei noſtri. Hinc emergit familiaris illa locutio, Onere aliquem leuare, quoties pœnis aut afflictionibus quibuſcunque aliquem liberari ſignificamus.

Neque verò ſimpliciter *Onus* nũcupat: ſed adijcit, *quod vidit Habacuk Propheta*. quod & Hebraicus contextus exprimit. *Azer Haza Habacuk Hanaui*, quaſi alluſione facta Videntis ad viſionem. Dictio enim *Haza*, quæ videre ſonat, affinitatem quandam habet ad nomen *Haroch*, id eſt Videntis. ſed & olim, ſi quis cõferebat ſe ad Prophetam, dicebat, Eamus ad Videntem. Hinc & illa Saulis ad Samuelem interrogatio, Indica quæſo mihi, vbi ſit domus Vidẽtis. Et iſta Samuelis reſponſio, Ego ſum Videns. Ergo onus hoc vidit Propheta, quia & idem Propheta & Videns. Etſi enim, vt ſcribit R. Mardochai Nathã, *Nauuah*, Prophetia, apportatio, ceu allatio, idem ſignificet quod *Halitſa*, id eſt interpretatio, aut *Diuur*, ſermo, eloquium aut iudicium ſecundum tempus proiectionis antequàm appareat: ita tamen de futuris intelligitur certum habere vaticinium, vt media intercedat viſio. Sed & *Haza*, quod videre eſt, eundẽ ſenſum habet quem *Raah*, è quo Videntis nomẽ deſumitur. *1. Reg. 9.* *In Cõcor. Hebraic.*

Neque ſane Prophetas vidiſſe corporeis oculis omnia putandum eſt. Alioquin quomodo conciliarentur hæc Chriſti verba, Multi reges & Prophetæ voluerunt videre quę vos videtis, & non viderunt? Videbant igitur, & non videbant. Videbant, ſed ſpiritualibus oculis, & per reuelationem, ceu apportationẽ, id eſt Prophetiam, vt Hebræi interpretantur. Sic quidem Chriſtus Dauidem in ſpiritu ce-

ciniſſe teſtatur : Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Non videbant autem oculis corporalibus , quibus Apoſtoli Chriſtum præſentem conſpicati ſunt.

Et quidem viſio fallax eſt in imagine, ſed non in ſpeculo illo æterno, vbi ſunt vbera illa excelſa, lactis ſapientiæ: ad quę inuitat nos

Cant.7. ſponſa dicens: Veni in hortum meum, & dabo tibi vbera mea.

Nunc verò ipſum eius vaticinium ordiamur. *Vſquequò*, inquit, *Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?* Vtrunque autem verbum *Zaack* & *Saua*, quod clamare ceu vociferari deſignant, magnum conquerentis affectum, magnas eiuſdem anguſtias & afflictiones exprimunt. Sic & 70. ἕως τίνος κύριε κεκράξομαι. Clamorem enim iſtum è violentia tribulationẽ prodire Propheta deſignat, adijciens, *Vociferabor ad te vim patiens.* Nã dictio *Hamas*, vis & rapina eſt, qua etiam omne iniuriæ atque contumeliæ genus intelligitur. Hac voce vſus eſt Moſes, cùm ea omnia flagitia, quæ diluuij tempore

Gen.9. increbruerãt, explicaret. Impleta eſt, inquit, terra *Hamas*, iniquitate. cui⁹ nomine publica in omni flagitiorũ genere licẽtia intelligitur. Hoc, inquit Hieronymus, idẽ ac ſi ægrotus & æſtuans febribus aquã frigidã poſtulet, & dicat ad medicũ : Vſquequò medice clamabo, & non exaudies? Interim verò nõ eſt crudelitatis, ſed potius bonitatis in Deo, quòd non citò exaudit, id eſt perficit ea quæ rogatur, &

ſaluat,id eſt liberat. Vt ſi ægroto clamãti reſpondeat ſapientiſſimus& clemẽtiſſimus medicus: Scio quo tempore debeam quod poſtulas dare. Non miſereor modò, quia miſericordia iſta crudelitas eſt, & voluntas tua contra te petit. Nouit enim Deus clementiæ ſuæ pondera atque menſuras. Hinc fit vt non ſtatim exaudiat clamantes, quò magis probentur, & prouocentur ad rogandũ, & quaſi igne excocti, iuſtiores & puriores euadant. Tribulationem patimur, inquit Apoſtolus, ſed non deficimus. Nouit Dominus quando ſe manſuetum & placatum oſtendere debeat. An non videmus, quòd

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos?

Et, vt docet Salomon, Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem? Hinc fit, vt ſuam in nos dilectionem Deus obtegat virga & correptione. Multis enim diebus ſinere peccatoribus ex ſententia agere, magnæ reprobationis eſt argumentum. Dilectionem autem ſuam manifeſtiorem redditurus eſt, cùm hinc emigrauerimus. Nam & hîc nos in timore verſari oportet, vt qui ſtat, videat ne cadat. Noli altũ ſapere, inquit Paulus, ſed time. *Proue. 29.*

Interim non reijcit Deus iſtos anxij animi impetus, vt nec mater aut nutrix puerorum & infantũ eiulatus& querimonias, etſi nõnũquã importunas. Idẽ ſæpenumerò Dauid obuenit. vt cũ exclamat, Vſquequò Dñe obliuiſceris me in finẽ? Vſquequò auertis faciẽ tuã

à me? vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? Et alibi: Sed tu Domine vſquequò.

Nam ſi literam ſpectes, perſonam afflicti populi aſſumit Propheta, & cauſatur aduerſus Deum, cur Nabuchodonozor templum Dei vaſtet & Iudam: cur Hieruſalem quondam vrbs Domini deſtruatur: quare clamet populus, & non audiatur: vociferetur ad Dominum oppreſſus à Chaldæis, & non ſaluetur. Et hæc dicit præ mentis anguſtia, inquit Hieronymus: neſciens aurum in igne conflari, & tres pueros è camino ignis puriores exiiſſe, quàm intrauerant. Et hæc quidem magnã mentibus noſtris tentationem inijciunt, ſi videamus impios præualere, iuſtos autem opprimi. Fuerint olim Prophetis & fidelibus omnibus ante Chriſti aduentum perpetuæ de ſuis temporibus querimoniæ. Fuerint & continua ſuſpiria & vota, quibus Chriſtum ſaluatorem præſentem exoptarent. Clamaſſe nimirùm potuerunt adinſtar Habacuk, quorum & ille perſonam typicè geſſit, Vſquequò clamabimus ad te Domine, & non exaudies? Vſquequò vociferabimur vim patientes, & mole peccatorum oppreſſi, & non ſaluabis nos per Chriſtum tuum? Mitte Domine quẽ miſſurus es. De profundis enim peccatorum & pœnarum clamauimus ad te Domine: Domine exaudi orationem noſtram. Nam apud te miſericordia, & copioſa eſt redemptio. Redime igitur Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius. Salua nos Domine, & ſalui erimus: ex-

audi nos, & liberi erimus. Fuerint hæc precationum argumenta antiquis illis patribus, qui Chriſti aduentum in carnem expectabāt. Fuerit & ſuorum temporum calamitas magna conquerendi ratio, quòd omnia in peius labi & ruere cerneret. Sit idem etiam nobis, ſi res priuatas ſpectemus, quòd toties orantes, toties etiā tentationi ſuccumbamus. Non enim, inquit Paulus, quod bonum volo, hoc ago: ſed quod odi malum, hoc facio. Inuenio enim legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me ſub lege peccati. Spiritus enim promptus eſt, caro autem infirma. Quoties clamamus vt à tētatione eruamur, & tamen vbi illa ſeſe obtulerit, tāto abeſt vt hanc fugiamus, quinpotius amplectimur? Clamamus, & ſuccumbimus: quia nobis vires dēficiunt, nec tanta fide poſtulamus qua debemus. Quis enim non attendit noſtram infirmitatem in vno omnium homine apud Paulum clamante: Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Quis, ſi ſeipſum penitiùs intueatur, idem non exclamet? A Domino eſt exauditio & ſalus: à nobis infirmitas & peccatum. Inde fit, vt Propheta dicat de Domino, *Non exaudies, & non ſaluabis?* eius enim eſt exaudire & ſaluare. Petimus autem, & non exaudimur, quia malè poſtulamus. Poſtulet ergo Spiritus ille pro nobis gemitibus inenarrabilibus: id eſt, poſtulare faciat cum cordis contritione, vt exaudiamur & ſaluemur.

Præter hāc noſtri clamoris rationem, quæ cuiuſquam noſtrum conſcientiam ſpectat, ſeſe offert ſtatus publici calamitas, ceu res diuinas ceu humanas conſideres. Et idem nobis ſuppetit argumentum quod & Prophetę, cùm ſuorum temporum miſeriam meditatur. Quis enim, ſi tamē aliquid habet Dei, nō moueatur, cùm viderit templa dirui, vrbes ſpoliari, aras euerti, Dei cultum eripi, & ipſum populum captiuum abduci? Quem non mouiſſet illa Hieroſolymæ obſidio per Nabuchodonozor, regis Sedechiæ vincula, excæcatio, filiorum ipſius mors miſerrima? Quid ſi vidiſſet per vrbem olim tam ſanctā, immò per abdita ſanctuarij diſcurrentes Chaldæos? cùm colūnas etiā æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreū confringerēt,
4. Reg. 25. & transferrent æs omne in Babylonem? cùm vniuerſa vaſa tēpli, & theſauros etiam regis & principum ſcrutarentur? cùm incenderēt tēplum Domini, deſtruerent murum Hieru-
2. Par. 36. ſalē, & vniuerſas turres proſternerent? Quis ſiccis oculis hæc meditari poſſit, ſi modò aliquem humanitatis ſenſum habeat? Quis nō iuſtè exclamet ad Dominum, Vſquequò Domine? Vſquequò. Eouſque igitur nos impellent peccata noſtra in opprobriū omniū nationum, nec ſuperabūt miſerationes tuę multitudinē iniquitatum noſtrarū? Quid enim ſi
Iob. 6. Iob in cruciatibus quātumuis patiens exclamat, Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? Qui cœpit, ipſe

me conterat, ſoluat manum ſuam , & ſuccidat me? Quæ enim eſt fortitudo mea vt ſuſtineam? Et quis finis me' vt patienter agam? Quid ſi ita ſe expĕdit Iob, vt malit mori, quã vinci impatiĕtia, dum tãtis & tot calamitatibus premitur: quis illo futur' eſt cõſtantior?

ORATIO.

ECce enim quot cladibus & miſeriis conſtringimur, nec alia publicarum quã priuatarũ rerum eſt facies. Quot quiſquè iniquitatibus premitur? Quam non effrenem licentiã miſerrima iſta tĕpora inuexerũt? Quid non aſperum & horrendum ab hæreticis accepimus & audiuimus? Quæ illis templa & altaria integra ſuperfuerunt? Quæ ſacra vaſa non illis & impijs quibuſcunque prædæ fuerunt? Vbi non cultus ille incruentus ceſſauit apud eos, quos iſti ſibi ſubijcere potuerũt? Itaque vſquequò ad te Domine afflicta clamabit Eccleſia, & non exaudies? Vſquequò vociferabitur vim patiens, & non ſaluabis? At verò non eſt aggrauata auris tua, vt non exaudias: ſed iniquitates noſtræ diuiſerũt inter te & nos. Tu verò ſolue vincula omniũ peccatorum noſtrorum, noſquein viam ſalutis dirige. Ne nos deſeras in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus noſtra. Exaudi Domine, ſalua Domine. Si enim nos abieceris, quis ſuſcipiet? Si condĕnaueris, quis ſaluabit? Noſtrum eſt clamare & vociferari, tuum eſt exaudire & ſaluare. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA II.

Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et factum eſt iudiciũ & contradictio potẽtior.

Terẽtij Heautontimoroumenos.

FEſtiua fuit olim Comici ſenis ad coætaneum reſponſio, cùm alter cõquereretur ſibi conſolationem ab illo dari, & ſibi proſpici, quaſi tantum ab re ſua ocij eſſet, aliena vt curaret, & non ea quæ ad ſe pertinerent. Atqui ille, Homo ſum, inquit, humanum à me nihil alienum puto. Quid enim ad hominis naturam, quam ſociale animal Philoſophi nuncupant, magis accedit, quàm afflicto compati, alterũ iuuare, alteri prodeſſe, nec ſe ſibi ſoli natum eſſe putare? Vis autem illa viuacior eſt in ijs, quos ſpiritus Domini inflammauit. Quis infirmatur, & nõ infirmor? inquit Paulus. Quis ſcandaliſatur, & ego non vror? Et hic potiſſimus eſt ſpiritualis præfecturæ finis, vt ſcribit Gregorius Nanzianzenus, nimirùm priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum inſeruire. Ita ſanè Propheta ſuum in aditu ſui ſermonis zelum prodit, quem verbi diuini miniſtris ineſſe debere didicimus, vt exardeſcant, ſi quando hominum peccatis diuinam iram accendi videant. Hoc Moſes commotus,

Clem. Ale. l. 1. Strom.

Apol. 1.

motus, viſo vitulo tabulas fregit, & tandem tamen pro eo medius apud Deum & ſequeſter fuit. Hoc Paulus incitabatur Athenas ingreſſus, videns idololatriæ deditam ciuitatẽ. Hoc pridẽ Elyas inflammatus, petijt animę ſuæ vt moreretur. Nã altaria, inquit, tua Domine deſtruxerunt, Prophetas occiderũt gladio. Hoc Polycarpus olim audita Florini blaſphemia recedẽtis à recepta traditione, exclamabat, vt ſcribit Euſebi⁹, ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵους με καίρους τετήρηκας, &c. O bone Deus, in quæ me tẽpora reſeruaſti, vt hęc blaſphema audiam? Eodem etiã zelo Bernardus calamitoſum ſui temporis ſtatum deplorat his verbis: Tædet viuere, & an mori expediat neſcio, & ideò fortè etiam in votis diſtem à ſanctis Paulo & Elya, quòd & ipſi prouocentur deſiderio meliorum: cùm ego ſcandalis & ærumnis compellar exire. Hic igitur zelus Habacuk impellebat, vt ſic conquereretur, *Quare oſtendiſti mihi iniquitatẽ & laborẽ, videre prædam & iniuſtitiam contra me?* Deplorabat enim ſuæ gentis excidium, Dei cultus euerſionem & contemptum, totque & tam corruptos ſui populi mores, quaſi præcipuam futuri illius excidij cauſam. Theodoretus Præfatione in Habacuk, Sunt, inquit, qui acerrimè commouentur de fœlicitate iniuſtorum, & hinc dubitãt, an Deus res humanas procuret. Quidam autẽ etſi adducantur ad fidem ſermonũ Dei de prouidentia: attamẽ dubitant, quiſnã hoc modo res humanas curet. Horũ videatur

Euſeb. lib. 5. Hi. Ecc. c. 20.

Epiſt. 189

B

perſonam ferre Propheta, non quòd ipſe aliquo modo dubitet, ſed vt ita affectorum vulnus retegat, & medicinam adhibeat Hoc nimirùm fecit & ipſe Dauid, eorumdem perſonã præferens. Mei, inquit, penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Et cũ huiuſcemodi multa deinceps adiunxiſſet, quæſitorum ſolutionem oſtẽdit. Hoc, inquit, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuariũ Dei, & intelligam in nouiſſimis eorũ. Idq́ue cùm intellexiſſet ex diuini ſpiritus gratia, adiecit: Veruntamen propter dolos poſuiſti eis mala, deieciſti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuã. Quòd autem has quæſtiones, non vt ipſe dubitans poſuerit, ſed cogitationes hominũ deſcribens, ipſum Pſalmi exordium explicat: Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde. Huic & ſimilis eſt Habacuk. Quærit enim cur Deus non è veſtigio iniquos reſcindat: non quaſi dubitet, ſed vt plurimorũ quæſtioni medeatur, cùm Deum reſpondentem induxerit. Ceterùm vt Theophilactus obſeruat, ſancti omnes miſerationis affectu permoti, propter vtroſque lugent, cùm læſos iniuriã ve preſſos, tum lædentes, & ad calamitatem perducentes. Et fortaſſe magis propter iniurios, quanto ad animam, precioſiſſimam rem, noxa magis pertinet. Sed & illi nonnunquam animis exacerbati, reſolutionem percupiũt,

Pſal 72.

Enarr. in Habac.

vt Ionas: Et nūc accipe, inquit, animā meā à *Ioan. 4.*
me. Nec abſimilis eſt Hieremię querimonia:
Quare de vulua egreſſ⁹ ſū, vt viderē laborē & *Hier. 20.*
dolorē, & cōſumerētur in cōfuſione dies mei?

Oſtendiſti, inquit, *& videre facis*. Donum enim Dei eſt, vt quis ſuorum temporum miſerias & peccata excutiat, & ea cognoſcendo abhorreat: cùm alioqui cæcitas pœna ſit peccati, qua ſeipſum quis ignorat, & quàm abominabilē ſe Deo reddiderit, nō attendit. Cæci ſunt, & duces cæcorū. Via illorum tenebræ & lubricum. Sic vidētes nō vidēt, & audiētes nō intelligunt, vt ſcribit Eſaias. His quidē ſimiles, qui etſi lecto mortis decūbant, ſe tamē ægrotare aut negāt, aut ignorāt. Nā peccatoribus ſuę ſordes placēt: cùm eas interim iuſti auerſentur. Ita iumenta computreſcūt in ſuo ſtercore, & porci lutum pro ſummis habēt delicijs: etſi ea animantia, quibus olfactus melior, & conditio naturę mundior eſt, cœnoſa loca fugiant. Auerſatur ſobrius crapulam, caſtus fornicationes, & qui charitate ducitur, lites ſummum malorū exiſtimat. Hinc fit, vt peccato ſeruitus tribuatur, vt quæ ſenſus omnes occludat, ne fortè ſeipſū quis erubeſcat. Qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati, inquit Chriſtus. Itaque quanto maiorē nobis gratiā Deus contulerit, tanto perſpicaciùs intuebimur abominationes, & noſtrorum temporum calamitates. Et quāto abūdātior iniquitas animā poſſederit, tāto min⁹ mala etiā imminētia cōſpicabitur. Ita nimirū in dieb⁹ Noë, etſi ille

ad pœnitentiam omnes prouocaret, indurati tamen illi & excæcati, edebant, bibebant, & nuptui tradebant: vnde factum eſt vt ira Domini aſcenderet ſuper eos. Ita impij, vt docet Iob, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Quãto autem melius eſt venire in domum luctus quàm gaudij, vt monet Salomon: & ſcelera & clades populi noſtri deflere? Deflebimus autem, cùm ea penitiùs agnouerimus, Deo docente.

Vim autem habet vtraque dictio *Auen*, & *Amal*, vt miſerrimum ſuæ Reipublicæ ſtatũ exprimat, & iuſtè ſe commoueri oſtendat, ceu populi ſui corruptos mores, ceu Chaldæorum illos opprimentium impietates intueatur. Nam ſi plebem Iſraëliticam ſpectes, noſtra in illis tempora depingi videntur: vt non mirum ſit, ſi à Turcis alij, alij ab hæreticis, aut ſchiſmaticis multa dura & aſpera patiantur. Tam enim corrupta erant omnia, tãque latè ſerpebat iniquitas, vt iuſtè De⁹ Chaldæos eis ad tempus præualere permiſerit. *Auen* enim iniquitas eſt, qua quis ab æquitate recedit: nec tantùm κόπον, vt vertunt Septuag. id eſt laborem, ſignificat. *Amal* verò omne genus miſeriarum indicat, quibus humana hæc vita inuoluitur. Pendet autẽ hoc, vt pœna, ab iniquitate. Si verò Chaldæos expendas, quomodo non erunt omnia contumeliarum, impietatum & afflictionum pleniſſima? Adijcit etiã, *Videre facis prædam & iniuſtitiam cõtra me*. Septuaginta vertunt ταλαι-

πωρίαν καὶ ἀσέβειαν, miſeriã & impietatem. Dictiones Hebraicę ſunt, *Sad* & *Hamas*. Atqui ex præda & rapinis ταλαιπωρία ceu miſeria, & ex iniuſtitia proficiſcitur impietas. Porrò *Sad* vaſtitatem ſignificat, qualis ceu bella ciuilia, ceu etiam extranea conſequitur, vbi armorũ violentia contigerit regnum in alterius tranſire poteſtatem. Quid enim aliud rapinæ illę bellicæ inferunt? Deſignat & hæc dictio rapinam & prædam. ſic enim Rab. Kimhi radicẽ *Sadad*, interpretatur per *Gazal*, quod rapere & ſpoliare eſt, & per *Auad*, quod eſt perdere & vaſtare. Porrò *Hamas* iniquitatem, mẽdaciũ & iniuſtitiam ſignificare diximus. Sic exaggerat Propheta ſuorum temporum calamitates. Ceu enim ſtatũ ſuæ Reipublicæ, ceu Chaldæorũ impetũ & rabiẽ conſideres, vbique præda & iniuſtitia. Ita ſi quis requirat, cur tã bonus Iſraël Deus ſiuerit populũ ſuũ à Chaldæis opprimi, reſpõdere poſſis: Propter prædas & iniuſtitias. Nam, vt ſcribit Salomõ, transfertur regnum de gẽte in gentẽ propter iniuſtitias. Quid enim triſtius eſt, quàm ciuilibus bellis non Iſraëlitas modò, ſed & Chriſtianum populum conteri, vaſtari, & perdi? Quid faciliorem Chaldæo, ceu cuique barbaro, & nominis noſtri aduerſario viam parare poſſit, qua nos ſibi ſubijciat, & pro mãcipijs habeat? Quas prædas & rapinas non iſta ſchiſmata induxerũt? Militare peccatum non eſt, inquit Auguſtinus, ſed propter prædã militare peccatũ eſt. Tanto enim abeſt vt

In Radici.

Tomo 10. Ser 19 de verb. Domini in Matth.

Abrahã auiditate prædæ bellũ contra Chodorlaomor ſuſceperit, immò eapropter prædatorib⁹ armatus occurrit, vt prędã ſuis poſſeſſoribus reſtitueret. Tantum autem abfuit ab alienæ rei cupiditate, vt reddita Regi Sodomorũ, quę ab iſtis ablata fuerat, ſua ſubſtãtia, cũ rogaretur, vt quędã ſibi tolleret, reſponderit: Leuo manũ meã ad Dominum Deũ excelſum, poſſeſſorem cœli & terrę, quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiã caligæ, non accipiã ex omnibus quæ tua ſunt: ne dicas, Ego ditaui Abram. Nunc verò quod potius eſt ciuilium bellorũ argumentum, quàm poſt ambitionem præda & rapina? Atqui milites ad hoc delecti ſunt, vt prædas & incurſiones hoſtiũ longè auertant à populo. Quid ſi illi pro hoſtibus ſe gerant?

Sed & aliud eſt prædatorum genus, quo nec plebs Iſraëlitica, nec nos ipſi caremus, qui titulo iuris adminiſtrandi vnumquemque deglutiunt & deglubunt. Ita adiicit *Hamas*, mendacium ceu iniuſtitiam, quòd contra ius & fas omne, iuris & æquitatis nomine abutãtur. Iniquitas quidem & labor magnum quid eſt: ſed nihil magis deprauatos magiſtratus docet, quã ſi præda & iniuſtitia dominentur. Nam quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala, Ita iuſtitia proponitur vt rete expanſum, ne quod ſemel militum prędas euaſerit, illorum manibus elabatur, qui ſe iuris adminiſtros eſſe profitentur. Nam tot

dilationes, quid niſi ad partes conſumendas? Adijciam in eam rē Auguſtini verba. Vſque-adeò, inquit, inoleuit hoc malū, vt iam quaſi ex conſuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, ſententia ipſa vænalis ſit, & nulla iam cauſa poſſit eſſe ſine cauſa? Hinc fit, vt Gregorius Nanzianzenus Apologetico ſuo primo dicat Habacuk hîc acriori oratione vti, & aduerſus Deū ſtomachari propter iudicum iniquitatem. Ex his nimirùm aut integritas, aut præcipua populi clades emergit. Amplificat autem affectum ceu dolorem ſuū, adijciens *Lenegdi*, id eſt in præſentia mea, in conſpectu meo: quod legimus *contra me*, ſicut & Pſalmo 50. Peccatum meum contra me eſt ſemper, quod eſt *Lenegdi Thamid*, & Septuaginta vertunt, ἐνώπιόν μου ἐστὶ διαπαντός, in cōſpectu meo eſt ſemper. Et quod in Euangelio dicit Chriſtus, Ite in caſtellum quod *cōtra vos* eſt, hoc contra vos, in Græco contextu ſonat, ex oppoſito veſtrum.

Vt ſup. ſer. 19. De verbis domin. in Matth.

Hoc igitur tale eſt, ac ſi dicat Propheta. Quoquò me vertam, video iniuſtitiā & rapinam. Non illa modò in vna ciuitate, ſed vbique eſt. Non antiqua aut aliena moror, ſed quæ in populo meo, quæ in patria mea, in viſceribus & ciuibus meis: quę etiam meis temporibus occurrunt, non quærentibus modò, ſed etiam vultum auertentibus. Clamor auditur, deſolationes vidētur. Atqui olim Prophetę cùm triſtes deſpicerent miſerum ſuorū ſtatum, in ſolitudines in ſecuriſſimum aſylū

confugiebant. Hi errabant per montes,latitabant in cauernis & ſpeluncis terrę. At verò quid, ſi nihil adhuc tam ſolitarium eſt, nihil tam à cõuerſatione & hominũ cohabitatione abductum, quod non prædatorum & iniuſtorum hominum violẽtiam ſenſerit? Triſtis ſtatus Iſraëliticæ plebis,cùm in Prophetas ſæuirent tyrãnni,cùm nec illos in ſpeluncis deliteſcere permitterent. Etiam aduſque Heremi penetralia per Thebaidem & Pontum armis violẽtis aſcetas illos veteres Ariani duce Lucio perſecuti ſunt, vt ſcribit Sozomenus & Nicephorus. Illos etiam nunc hæreticorum furor per abſtruſa quæque ſcrutatur. Quæ non pietatis templa ipſis in Heremis deſtrùcta ſunt? Ita *contra me*, inquit Propheta,quia in oculis omnium, etiam nolentium, hęc omnia verſantur. Hæ ſunt tempeſtates, quæ quàm multis,ô bone Deus,naufragium adferunt?Sic ex cupiditate diuitiarum rapina,ex illa demum iniuſtitia, & ἀσέβεια, id eſt impietas profluunt. *Quare reſpicis contemptores*, &c. Hæc ſententia paulò infrà habetur, nec hîc legitur ab Hebræis, ſed neque in traductione Septuaginta interpretũ. Statim enim pergunt ad eam ſententiam, *Et factum eſt iudicium & contradictio potentior*. Hebræi ſic legũt, *Vaihi Rib Vmadon iſſa*.id eſt, Et fuit lis, & contentionem tulit. Nam vbi inter ciues præualet iniuſtitia & præda, quomodo non rixæ, contentiones & bella præualeant? Quomodo nõ etiam quiſque variis penes religionem

Sozom. li. 6 hiſt. Ec. cap. 20. & Niceph. li. 11. cap. 27

contentionibus diſtrahatur? Tangit enim Vates ſua, id eſt, Manaſſis regis tempora, vt notant Hebræi, quibus tot pſeudoprophetæ, tot Gentilis cultus profeſſores verbum Dei oppugnabant. Quid enim tunc obſtruſa iuris adminiſtrandi via, non licuit? Cùm erexiſſet altaria omni militiæ cœli, etiam in duobus atriis templi Domini, cùm tradu- *4. Reg. 21*
xiſſet filium ſuum per ignem, obſeruaſſet auguria, feciſſet Pythones, & aruſpices multiplicaſſet, vt faceret malum coram Domino, & irritaret eum? Sic ex iniuſtitia *Rib* ceu lis emerſit, & ex illa contradictio potentior, immò temeraria contra Deum contentio, hæreſis, ceu quælibet impietas. Rectè ſcilicet hæc duo coniungit, *Rib* & *Madon*. *Rib* autem non ſimpliciter iudicium ſonat, ſed rixam & captationem occaſionis iniuſtæ ad litigandum, vt aut famæ, aut corpori, aut fortunis proximi tui aliquid imponas. Sic enim *Rib* dicitur illa rixa, quæ inter paſtores Abraham & Loth emerſit, cùm de communib⁹ paſcuis certarent. Hinc factum eſt, vt Abraham dixe- *Gen 13.*
rit, Ne ſit iurgium inter me & te, fratres enim ſumus. *Madon* autem contradictio eſt, ceu quis ſe tyrannicè gerat in ſubditos, ceu quis ſuæ opinioni omnes adſtringere voluerit: quod in hæreticis eſt potiſſimùm, cùm ſuam omnium opinioni præferant, & ad illã, Vniuerſalem etiam Eccleſiam ſubiicere velint. Hæc dictio legitur Pſalmo 79. è quo hæc transferuntur. Poſuiſti nos contradictionem

vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos Ex his, immò & Manaſſis cæterorũque degenerũ Regum factis & euẽtibus diſcimus, quàm pernicioſum ſit, rectam iuris adminiſtrationem contemnere, & receptam religionis ſententiam in quæſtionem deducere. Vbi enim ius, & religio inter Iſraëlitas à prima ſua integritate deſciuerunt, tunc in ſe Aſſyrios & Chaldæos armarunt. Inducentes enim illi contentiones de religione, & Pſeudoprophetas liberè agere ſinentes, induxerunt etiam ſuper ſe gladium. Quod & vnico Valentis exemplo probari poteſt. Ille quòd pauci religionem duceret, Arianos noſtris præferre tentabat: quorum vt vires & numerus augeretur, Scythas in Thraciam admiſit, gentem ferocem & barbaram. Hi propter euerſionem auitę religionis admiſſi, in ſe diſcindi cœperunt, & illum contemnere, qui propter Dei cultus & fidei contemptum eos induxerat. Ergo cùm omnia ſeditionibus implerentur, & Orientale nutaret imperium, Valens ipſe progredi in occurſum eorum coactus eſt, non ſine ſummo ſuo malo, vt qui immiſſo à Barbaris ignę, in caſa, in quam fugiens ſe receperat, crematus ſit. Sic τὸ κακὸν τῇ πείρᾳ ἐμάνθανε τῆς ἁμαρτίας, inquit Nicephorus: id eſt, ſuo magno malo, & ipſa experientia didicit, quãtam ſuo peccato perniciem induxiſſet. Eſt enim ſtultorum magiſter euentus. Vt enim fallitur, qui pacẽ mari per contrarios ventos, ita qui Reipublicæ

Niceph. l. 1. hiſto. Eccl. ca. 48

tranquillitatem per oppoſitas de religione opiniones conciliare ſe putat. Fuit primùm habendi cupiditas, ceu præda: conſecuta eſt iniuſtitia, & lis: ex his tandem *Madon* ceu cõtradictio, & imperioſa eorum ſententia, qui ad inſtar ſophiſtarum, contradicendi ſcientiam profitentur, vt ſcribit Plato in dialogo de Ente. Ex illa autem contentione quid expectandum erit, niſi Reipublicæ ſtatus quædam mutatio, quæ omnibus perniciem inferat?

Oratio.

VErùm, ô Deus, has auerte minas, has prohibe tantæ mutationis occaſiones. Tu enim ſolus his malis occurrere potes, qui facis potentiam in brachio tuo, diſperſiſti ſuperbos mente cordis ſui. Cor Regis in manu tua eſt, tu illud dirige, & per eum ſic populo tuo prouide, vt omnis violenta prædatio, omnis iniqua iuris adminiſtratio, omnis contentio procul abeat. Præficiantur iudices qui oderint auaritiam, te timeant, & vnicuique quod ſuum eſt tribuant. Ceſſent illa inimicitiarum fomenta, quæ per dilationes & corruptiones iuris emergunt. Reſcindãtur via iuſtitię qui nos conturbant: ne fortè ex effreni ſcelerum licentia contradictio potentior emergat, & quod olim apud Iſraëlitas, ita apud nos ſit, non contemptus modò religionis, ſed & ipſius ruina, quæ Barbarum quemque nobis præficiat.

HOMELIA III.

Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium. Quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.

OPpoſitæ & tamẽ veræ videtur iſtæ ſentẽtiæ, quòd altercando veritas amittatur, & quòd quærendum ſit, vt inueniamus. Verùm facilè vtraque cõciliabitur, ſi vt monet Tertullianus, quæramus, ab iis, & in Eccleſia illa quæ veritatem habet. Nimirùm & hoc olim hæretici ad importunam curioſitatem prætexebãt, Quærite, & inuenietis. Igitur quærendum donec inuenias. Inueniſti autem, cùm credidiſti. Nam ratio huius dicti in tribus articulis conſiſtit, in re, in tempore, in modo. In re, vt quid ſit quærendum conſideres: In tempore, vt quando: In modo, vt quouſque. Quærendum quod Chriſtus inſtituit. Quærendum donec inuenias, id eſt credas: quærendum, hîc dum viuis. Alioquin ſi ſemper quærendum, vbi erit finis? vbi ſtatio credendi? Sed & apud quos quæri oportet? An apud quos inuenire non poſſis? Apud Marcionem, Valentinum, Ebionem, qui ſemper quærunt? Quæri igitur oportet apud hæreticos, apud quos omnia ſunt extranea & aduerſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere? Quis ſeruus

Libro de præſcript.

cibaria ab extraneo, id eſt ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donatiuum & ſtipendium captat, niſi planè deſertor & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum dragmã requirebat, etiam pulſator ille vicini ianuam tundebat, etiam vidua illa non inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde ſtrui debet, vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro. Hæc Tertullianus. Itaque ſi quærimus veritatem in Eccleſia, dubio procul inueniemus. Ait enim Chriſtus: Ego vobiſcum ſum, & portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam. Hinc Paulus Eccleſiã definit, columnam & firmamentum veritatis. *Luc. 15.* *Luc. 11.* *Matt. vlt.* *Matt. 16.*

Si autem apud deluſores, hæreticos, & eos qui mendacium profitentur, quomodo non diſputando veritatem amittas? Semper quærunt, inquit Paulus, & nunquam ad apicem veritatis perueniunt. Sic enim Salomõ: Verba ſapientis gratia, & labia inſipientis præcipitabunt eum. Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus: ſtultus verba multiplicat. Adeò verò ſuæ opinioni infixus eſt, vt ſi tu illum aliqua ratione dimouere nitaris, protinus in irã exardeſcat. Hinc & idem Sapiens colligit, Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quã fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua. Diſcer- *Eccle. 10.* *Prou. 17.*

nendũ igitur ad quos te conferas. Quis enim dubitat Angelum tenebrarũ ſeſe transfigurare in Angelum lucis: & cõtẽtionibus illius fidem concuti, ſi fortè infirmas conſcientias repererit? Hoc ſuggerit Euangelica hiſtoria, quę prodit Sathanã in Chriſtum ſe ingeſſiſſe, ſcripturas ſcilicet malè intellectas protuliſſe. Hoc verò quid aliud contendebat, niſi vt cõtentione lex laceraretur? Hoc nimirũ de ſuis tẽporibus Habacuk cõquerebatur. Cũ enim ex iniquitate & iniuſtitia prædas, contentiones, & rixas in populũ ſuũ profluxiſſe dixiſſet, adiecit: *Propterea lacerata eſt lex, et nõ peruenit ad finẽ vſque iudiciũ*. Quod quidẽ verũ apparet, ceu tu leges ciuiles, & humana, ſcilicet quæ ex iure ſunt, iudicia conſideres: ceu etiam leges diuinas, & ipſam veritatis ſententiam, & ſummi numinis decretum ſpectes. nam hæc omnia contentionibus & rixis euertuntur. Hinc fit, vt non perueniat ad finẽ iudiciũ, id eſt, non attingat ſuũ finẽ, qui eſt rectè iudicare. Sic nimirũ interpretatur Hieronym. Græcam phraſin attendens, καὶ οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρῖμα. Si enim leges ciuiles ſpectes, quid magis prohibet æquũ illorum iudiciũ, quã prophana ſcelerũ licẽtia, ſi cuique cõtradicere liceat? Si enim patroni forẽſes naſũ cereũ legibus effingũt, & omnes pro libito illas examinant, quomodo non finẽ & intentionẽ legiſlatoris peruertent? Hinc eſt, quòd olim *Plato in Gorgia.* Rhetores à ſua Republica Plato abdicauit, eorũ maximè rationẽ habẽs, qui fucis verborũ ius & æquitatẽ peruertũt: quod olim etiam

in Gracchis Romani dãnarunt. Hinc & apud Atheniẽſes quiſque ſuæ cauſæ patronus erat: vt ex ſimplicitate facti, & legibus nõ fucatis, certa tandẽ ſentẽtia pẽderet. Quæ verò cauſa quantũuis iniqua patrociniũ nõ habere videatur, vbi aut leges truncatæ, aut in aliũ ſenſum detortæ producuntur, nõ ſine lenocinio verborũ? Sic enim Iſocrates raptum Helenæ defẽdit, quẽ ipſa legũ omniũ, & hoſpitalitatis iura cõdẽnant. Sic & qui in Rẽpub. armãtur, etiã fucũ prætexũt, quaſi iure id ipſum attẽderint. Hi ſunt, quos Eſaias ſcribit, dicere noctem diem, & diem noctem. In quos etiam id intonat: Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes, iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. *Lyſias in Eratoſth.* *Eſai.10.*

An non per eos *lacerata eſt lex*, ipſa inquam, quam cuique homini natura propoſuit, Ne alteri faciam⁹ quod nobis fieri nolim⁹? Hinc & Gloſa interlinearis ex Hieronymo: *Contradictio* facta eſt *potentior* iudicio. Propter hoc *laceratur* lex à contradicentibus, cùm acceptis muneribus contra inſontes, peccatum diuitis magis quàm veritas pauperis defenditur. Quia impius præualet contra iuſtum, id eſt, *Hier li.1. in Habac.*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas,

ideò egredietur iudiciũ peruerſũ. Quid enim ęqui & iuſti poteſt eſſe, vbi nõ ſecũdũ leges, ſed ex perſonarũ acceptione iudicatur? Deu.16. Nõ accipies perſonam nec munera, quia munera excæcãt oculos ſapientũ, & peruertũt verba

iuſtorum 1.Reg.8.Factum eſt, cùm ſenuiſſet Samuel,poſuit filios ſuos iudices in Iſraël, & non ambulauerunt in vijs eius: acceperũtq; munera,& peruerterunt iudicium. Quòd ſi impius timore,aut muneribus, aut fauore apud iudices præualet,quomodo egredi poſſit iudicium iuſtum? Hoc verò ſi in Republ. aut regno aliquo locum habet, quomodo nõ vindicem Dei manum timeat?Hoc & Habacuk populo ſuo timet in tam magna magiſtratuum corruptione.

Quòd ſi contradictionem ad leges diuinas transferas,quomodo non illa&has lacerabit, &omne iuſtũ iudiciũ ſubuertet? *Quomodo nõ egrediatur iudicium peruerſum*, & ſuccurret nobis horribilis quædam expectatio diuini iudicij, *quia impius paßim præualet in iuſtum?* Noli contendere verbis,inquit Paulus, ad nihil enim prodeſt. Et rurſus: Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita. Accedẽtem enim ad Deũ oportet credere,quia eſt. Fides autem quæſtionem non admittit. Nam id de quo quæritur,dubium eſt:quod autem creditur, certum eſt.Si qua verò quæſtio eſt,non talis eſſe debet, nec tantum inualeſcere, inquit Ire-
Iren.lib.4 cap 14. næus, vt fidem noſtram euacuet.Nam ſi ambigua ſũt omnia,vbi fides? Et quid pernicioſius, quid item violentius ad *legem* Dei *ſubuertendam* ,ſi cuique contradicere permittitur?Hoc conſilio Iulianus omnes ſectas per-
Lib.2.cap. 10. miſit.Nam, vt ſcribit Irenæus , ex vna quæſtione in alteram delabentur: & quærentes exol-

exoluere ſcripturas&parabolas,rurſus alterã quęſtionem maiorem introducũt,& ſic quærendi nullus finis eſt. Hoc prudenter quidem Cõſtãtinus ille magnus inſpexerat, expertus è quæſtionibus, magnum diuinæ legi diſpendium impendere. Quod & ſuis ad Alexandrum & Arium literis teſtatus eſt. Tu, inquit, Arie incircunſpecte, hoc in medio attuliſti (contra Verbi diuinitatem) quod initio nec cogitandum, vel cogitatione conceptum ſilentio conuenienter tradendum erat. Vnde factum eſt, vt diſſidio ſuſcitato, ſanctiſſimus populus in vtriuſque veſtrûm partes ſciſſus, ab harmonia communis corporis ſeceſſerit. Nam neque quæſtionẽ de talibus initio mouere, neque interrogatum reſpondere decebat. Etenim huiuſmodi quæſtiones, quas inutilis otij cõtentio proponit, etiamſi id naturalis cuiuſdã exercitij gratia fiat, intus tamen in animo concluſas retinere, neque popularibus auribus incircunſpectè concredere debemus.

Euſeb lib. de vita Cõſtant. Socr. lib. 1. c. 7.

Euſebius Cæſarienſis in lib. de Demonſtrat. Euangelica, ſcribit, olim apud Athenienſes iunioribus prohibitum de lege lata quærere, cur ſic eſſet poſita: ſed nec olim Romani ſenatores auſi ſunt poſt factum Papirij filios ſuos ſecum in ſenatum deducere, niſi ad togam perueniſſent: vt ſua authoritas legi, & decretis ſenatus in ſilentio ſeruaretur.

Aul. Gell. Noct. Att.

At verò nulla eſt ſcientia, vt queritur Hieronymus, de qua magis in vtrumque diſſera-

Prolog. ad Paulinum

tur,& quã temerariè magis & anus,& mechanici agitent,quã diuina:cũ interim exclamet Paulus,O altitudo ſapientię & ſcientiæ Dei!

Propter hoc lacerata eſt lex,dimouentur termini quos poſuerũt patres noſtri: *Et non peruenit vſque ad finem iudicium*. id eſt, malè iudicatur de legis ipſius intentione. Nec putes hoc malum incidere non à iuſta Dei permiſſione. Priora enim delicta occaſionem hæreſi præbuerunt. *Quia impius praualet cõtra iuſtũ*,& ſubuertitur iuſtitia & charitas:ideò *egreditur iudicium peruerſum*: corrumpitur enim intellectus & obtenebratur,iã corrupta voluntate,adeò vt lex diſtorqueatur in ſiniſtrum ſenſum. Cęterùm iudicium illud peruerſum, non modò egredi cenſetur ab his, quorum peruerſa eſt voluntas,vt iniquam ceu in rebus diuinis ceu humanis ſententiam ferant: ſed & intelligi poteſt de ſententia,quam Chaldæi in Iſraëlitas,aut Barbari quique eandem & infideles contra fideles laturi ſunt,contra omnem iuris ordinem, ceu eos bonis corporis aut fortunæ mulctare,ceu religione deſtituere contendant.quin etiam,teſte Lyrano, aliter exponi poteſt,referendo ad Deum. Non quòd peruerſum iudicium ab ipſo egredi poſſit,ſed quòd homines profunditatem iudiciorum eius neſcientes,iniuſtitię deputãt,quòd Deus ſinat impios quoſque in populum ſuum præualere,templum ſuum euerti, altaria dirui, vaſa ſacra diripi:nõ intelligẽtes, quòd quicquid patimur,peccata noſtra meruere. Quid

Tert lib. de præſcript.

Lyranus.

enim magis illius iram accēdere poteſt, quàm contempus nominis eius, & religionis? quàm prædæ & rapinæ? quàm quòd ab omnibus leges & diuinæ, & humanæ proſcindũtur? quàm quòd impius præualet aduerſus iuſtum? *Ideò egredietur* etiam à Deo, contra nos *iudicium peruerſum*, reſpectu noſtri, vt quod futurum ſit in noſtram perniciem & excidium: hoc nimirùm, quod & tandem comminatur Propheta de Gentibus extraneis, quę conſurgēt in deſolationem noſtram. Idem ferè Moſes ad populum pronunciat. Venient, inquit, *Deut. 28.* ſuper te omnes maledictiones; & apprehendent te, donec interieris: quia non audiſti vocē Domini Dei tui, nec ſeruaſti mãdata eius, & ceremonias quas præcepit tibi. Et erunt in ſemine tuo ſigna, & prodigia in ſemine tuo in ſempiternũ. Seruies inimico, quē emittet Dominus in fame & ſiti, & nuditate, & penuria, & ponet iugũ ferreũ ſuper ceruicē tuã, donec te conterat. Adducet Dominus gentē de lõginquo & extremis finibus, in ſimilitudinē aquilæ volantis, quæ nõ deferat ſeni, nec miſereatur paruuli. Quis iſta ſententia ſuperior erit? Quis eorum, qui ſe politicos profitētur, medium aliquod dare poterit, quo ſubuerſa religione, aut admiſſis contra illam cõtentionibus, nõ peruerſum iudiciũ, & integra Reipublicę ruina conſequatur? Nos olim fuimus Galli. Fuimus, inquam, Galli, Chriſtianæ religionis acerrimi propugnatores, non modò poſt Clodoueũ primũ Regē Chriſtianiſſimũ,

ſed multis longè temporibus: cùm, vt ſcribit *Lib. 1. de vita S. Martini.* Seuerus Sulpitius, huius fidei cõtra Arianos defendẽdæ prætextu, magni tumultus à Gallìs excitati ſunt, duce Maximo: donec ad Theodoſium Imperatorem Catholicum ventum eſt. Nec aliunde Gallicarum rerum ſtatus mutatus eſt, quàm vbi Arianorum contentiones à quibuſdam admiſſæ ſunt. Tunc enim effectum eſt, vt Stilicone contra Imperatorem agente, direpta ſit Gallia à Gotthis, Hunnis, VVandalis, Alanis, Saxonibus & Francis, vt in libris ſuis de Prouidentia Sal- *Saluianus lib. 8.* uianus Maſſilienſis Epiſcopus illius temporis conqueſtus eſt. Nec conquieuerunt iſtæ clades in Gallia, donec Clodoueus fidem Chriſti amplexatus, ſimul etiam contra Arianos conſubſtantialem confeſſus eſt. *Aimoinus lib. 1. hiſt Fran.* Nec aliter deſperatis rebus ſuis ſuccurrere, nec hoſtes pellere, neque ſe ſtabilire potuit, quàm iurata Dei vnius religione. Supereſt adhuc Teſtamẽtum S. Remigij Rhemenſis Epiſcopi, quo Clodoueus monetur, ne vnquam à fide deſciſcat. *Teſtam S. Remigij.* Tandiu nimirùm illum ſuóſque ſucceſſores regiam coronã mãſurã eſſe, quãdiu fidem Catholicam ſanam & incolumem conſeruaturi ſunt. E cuius diſceſſione conſecutura ſit & Regis & regni deſolatio, & Reipublicæ ſubuerſio. Hoc ſcilicet in Hebraico populo ſatis ſacrę ſcripturę cõfirmãt. quãdiu Deo adhæſerunt, pro eis ille pugnauit, eos ab exteris nationib⁹ eripuit. Nũc autẽ Propheta peſſum ire omnia conſiderans, & cuique om-

nia etiam in religionem agere licere, & diſſerere, concludit: Eapropter *egredietur iudicium peruerſum.*

ORATIO.

QVid enim, ô bone, tutum eſſe poteſt his quos deſerueris? Atqui omnes qui derelinquũt te, derelinquentur: & qui contẽnunt te, erunt ignobiles. Tolle ſcilicet manũ tuam, & turbabuntur omnia, & in puluerem reuertentur. Quid ergo conſequi poſſit contemptum nominis tui, quid tot contra puram religionem opiniones? Quid ſi leges humanæ & diuinæ lacerantur, quę ſunt Reipublicæ vincula & nerui: num ipſam etiam Rempublicam diſſolui neceſſe eſt? Auerte igitur à nobis Sathanicas has impoſturas, quibus contempta pietate & fide, id eſt, teipſo reiecto, ſtatum regni ſaluum eſſe poſſe cõcluditur. Fac vt lex integra, & pietas, & fides vna conſeruentur: ne forte in nos iudicium illud peruerſum egrediatur, quo Iudæi tot cladibus ſubiecti ſunt.

HOMELIA IIII.

Aſpicite in gentibus, & videte, & admiramini & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cùm narrabitur. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.

QVi citò mouentur & exardeſcũt ira, breui etiã tepeſcũt. At qui ſẽſim irã concipiũt, vbi ad ſummũ venerint, non facilè conciliãtur, donec vindictã in ſuos exercuerint. Et hoc etiã in leone deſcribit Lucanus.

Lucan. lib. 1. Pharſa.

Subſedit dubius, totam dum concipit iram,
Atque vbi ſe ſæua ſtimulauit verbere caudæ,
Erexitque iubas, vaſto & graue murmur hiatu
Infremuit: tum torta leuis ſi lancea Mauri
Hæreat, & latum ſubeant venabula pectus,
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

Prouerb. 19. Sicut fremit⁹ leonis, ita & ira Regis: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius. ſi quando enim

Ho. Iliad. α.

βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ, id eſt, iraſcitur inferiori ſibi, cõtinet irã donec perfecerit, inquit Calchas Achilli, apud Homerũ,

μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.

Et quidem ad ſimilem, ſed æquiorem modũ, Deus nõ facilè mouetur. Diſſimulat enim peccata propter pœnitẽtiam. An ignoras, in-

Sap. 11.

quit Apoſtolus,quòd Dei benignitas te ad *Rom. 2.*
pœnitentiam adducit? Non facilè ſubuertit
peccatores. Vbi tamen & tam longa eius patientia abuſi fuerint,fit vt ille contemptus & quaſi deluſus iracundiæ ſuæ flagella depromat. Ita enim Pſaltes monet. Niſi cõuerſi fueritis,gladium ſuum vibrauit,arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vaſa mortis,ſagittas ſuas ardentibus effecit. Nam
ſecundum duritiam tuam,& impœnitẽs cor, *Rom. 2.*
theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei,qui reddet vnicuique ſecũdum opera eius. Hoc ipſe Chriſtus docuit, cùm terribilem iudicij expectationem depingeret tot Euangelij locis , vt intelligeremus quàm periculoſum ſit incidere in manus Dei viuentis: eapropter ſatageremus puri & innocentes,quantum poſſimus,apparere in cõſpectu ſuo. Hoc etiam Habacuk Propheta monuit,immò ipſe Deus per Prophetam. Cũ enim interrogaſſet Deum,& cõqueſtus fuiſſet,nunc videtur eum reſpondentem inducere. Atque vbi latè graſſantem iniquitatem, rapinam,& iniuſtitiã,immò & contradictionẽ expreſſit,addit quàm ſeuero iudicio etiã hîc Deus iſta vindicaturus ſit. Nonnunquam enim Deus punit hoc in ſeculo peccata & ſcelera,vt reſipiſcamus,& in morem caſtigatorũ ſeruorum in eum oculos eleuemus: Nonnũquam etiam pœnas illas reſeruat in futurum, quæ tãto timẽdæ ſunt,quãto nulla ſpes,nulla itẽ redẽptio manet illos qui ſunt in inferno.

Melius quidem eſt hîc vri, cædi, premi, vt in æternum parcat. Terret itaque Propheta peccatores, vt eos ad virtutẽ è peccato auocet. Ait enim, *Aſpicite in Gentibus, & videte, & admiramini, & obſtupeſcite*. Hieronymus ſuam hîc verſionem defendit, etiam producta aliorum varietate. Septuaginta enim, inquit, poſuerunt, Videte contemptores. ſed & in alia quadam editione reperi, Videbitis calumniatores. & in alia abſque autoris titulo, Videbitis declinantes. Attamen Aquila, Symmachus & Theodotio cum noſtra interpretatione concordant, *Rheu Bagoim*, quod tranſtulimus, Aſpicite in Gentibus. Hoc quidam ſic interpretantur. Si quidem dubitatis credere magnas vobis clades imminere à Deo vindice, propter iniuſtitias, & rapinas, & contentiones, & id maximè, quòd lex diſſoluitur: hoc ipſum etiam ex aliis nationibus colligite. Quæ enim fuit illa, quãtumuis magna & potens, quæ ſtatim non diſperſa fuerit, ablata lege, & contempta iuſtitia? Hoc, inquit, aſpicite in Gentibus, & videte. Potentiſſimum quidem fuit Aſſyriorum imperium: ſed decreſcere, & paulatim labi cœpit, cùm Reges minus ſolicitè ius adminiſtrarent, cùm ocio & deliciis ſeſe deuouerent. Nam triginta Reges, & eorum poſtremus Sardanapalus, à ſe rerum curam abdicarant: quem colu nentem inter mulierum choros, & ipſum muliebri habitu inuẽtum, ad populum teſtatus eſt Arbaces: hinc tantam ei inuidiam cõcitans,

Iuſtin. lib. 1. Trogus, Herodotus

vt populus in Principem ſuum armatus proceſſerit, & imperium illud magnum ad Medos deciderit. Quid verò non rixæ & diuiſiones in populis portenderunt, niſi ſuam ipſorum perniciem? Sic enim ex cõtrariis qualitatibus frigore & caliditate, humido & ſicco, magna in aëre tonitrua concitari videmus, & id quod potentius eſt, tandem præualere. Quæ nanque domus familiàs adeò potentes ſunt, quæ non diuiſione conuellantur & pereant? Hoc ergo ait, *& in ipſis etiam Gentibus videte.*

Poteſt & id ſic interpretari, *Aſpicite in Gentibus:* Videte nunc Gentes in perniciem veſtram paratas, conſiderate extraneos nihil aliud moliri, quàm vt veſtram memoriam reſcindant. Quid enim olim aliud Pharao & Ægyptij, cùm vos detinerent, & maſculos veſtros perimerent? Quid Amalechitæ, cùm vobis in ipſis etiam deſerti penetralibus occurrerunt: quid aliud Amorrhæi, Madianitę, Moabitæ, & cæteræ Gentes, cùm obſtarent ne Iordanem tranſiretis: quid denique omnes omni tempore Gentes ſuis in vos præliis & conſpirationibus fecerunt, niſi vt nomen veſtrum reſcinderent? Non memoretur, inquiunt, nomen Iſraël vltrà. An non & hos vobis inuidere arbitramini, cùm intelligunt è tam tenui familia, è peregrino ſolo, tot deuictis Gentibus, vos alienas terras poſſediſſe? tot partas victorias? Nõ Danubiũ, non Rhenum, ſed & ipſum mare rubrum, ipſum etiam

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Iordanem ſicco pede pertranſiſſe? Non ſub Pharamundo cum armatorum multitudine, ſed ſub Moſe, & cum plebe inermi ſolitudines vaſtas, tandem etiam tam fœlices terras ingreſſos eſſe? Quot ſunt qui veſtræ fœlicitati inuident, & dicunt, Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Inuaſerunt vos non Angli, Hiſpani, Itali, VVandali, Sueui, Germani, ſed nec humaniores hoſtes. Inuaſerunt præter Amorrhæos, Iebuſæos, Syros, Amalechitas, Moabitas, ipſi etiã Babylonij, Aſſyrij, Medi, Perſæ: armauit ipſe ſe vniuerſus orbis contra vos. Quid verò olim obſtitit, quin vos puſillus grex diſperderemini è facie terræ? An vires veſtræ, cùm tam pauci eſſetis? Num virtus altiſſimi? Ita enim norunt Ægyptij, cùm clamarent, Fugiamus ab Iſraële: Deus enim pugnat pro eis. Ipſe prçſidium veſtrum fuit. Hinc vnus veſtrorum Regum cecinit: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Quoniam tu mecum es Domine.

Exod. 12.

Nunc verò ecce Deus dereliquit vos, quia dereliquiſtis eum. Quomodo ergo præualebitis contra tot hoſtes? Diruta eſt ſepes, & quomodo non ſingularis ferus in vineam irruat? *Aſpicite*, apparatum belli, *in Gentibus. Videte*, vt Deus vindex ſinat vos affligi. *Admiramini & obſtupeſcite*, quoniam & his vos flagellis vult Deus atteri. Stupor tranſeat in vos, cùm tanta mutatio ſuccreuerit, vt qui

olim ſolo nomine tot Gētes terrebatis, nunc veſtrum ab iis exitium parari conſpiciatis. *Quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur.* Horreſco referens, vt ait Poëta. Nemo crediderit, quàm deprauati ſint omniũ mores, quàm confuſa ſint omnia: nec etiam crediderit, quàm pernicioſa parentur ſupplicia. Id enim de afflictionibus & peccatorum pœnis, quas Deus iuſtus vindex illis immiſſurus ſit, intelligi, magis exprimit textus Hebraicus, & Septuaginta interpretum traductio. Sic enim habent, *Ki poal poel.* Græca autem lectio, διότι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι, id eſt, *Quoniam ego opus operor*, vt ad Deum vindicem hæc flagella, de quibus dicendum eſt, referantur. Illa verò exaggerat, adiiciens: *quod nemo credet cùm narrabitur*. Quemadmodum enim in cor hominis non aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe. Tanta eſt multitudo dulcedinis tuæ Domine! ita quis poterit vim furoris eius exprimere? Ne tot populi fidelis calamitates, ne bella, ne ſpoliationes ad fortuitos euentus, ſed ad diuinam prouidentiam trãſferas, quæ nouit quando debeat iraſci, & quando debeat miſereri. *Ego*, inquit, *opus operor.* Sic, vt ſcribit Amos, non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Exaggeratio autem miſeriarum non diſſimilis huic, legitur apud Hieremiam. Hæc dicit Dominus Deus exercituũ, Deus Iſraël. Ecce ego inducã afflictionẽ ſuper locũ iſtũ: ita vt

Am. 3.

Hie. 17.

omnis qui audierit illam, tinniant ambæ aures eius. Eo quòd dereliquerint me, & alienum fecerint locum iſtum, & libauerunt in eo diis alienis, quos neſcierunt ipſi & patres eorum, & Reges Iuda, & repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum.

Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos Gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poßideat tabernacula non ſua. Ita monet ſuæ iuſtitiæ ſententiam attendendam in malis quæ patimur. *Ki hinneni mekim. Quia ecce ego ſuſcito:* ipſe ego vindex ſum impietatum & ſcelerum, etiam per Angelos malos, & per deprauatas nationes. Sic Auguſtinus: Nouit, inquit, Deus benè vti de malis, in quibus tamē humanam naturam non ad malitiam creat, ſed eos perfert, quouſque ſcit oportere, non inaniter, ſed vtendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. Suſcito, inquit, id eſt, præualere permittam, vt etiam in Pharaone interpretatur Oecumenius.

q. 32. in Exodum.

In Epiſt Pauli ad Rom.

Chaldæos Græci & Latini nonnunquam pro magis & aſtrologis vſurpant. Sumuntur hîc pro nationibus, quæ inter Babylonem & Arabiam deſertam inter Tygrim & Eufratem ſitæ ſunt, quarum caput Babylon extitit, ſub Rege Nabuchodonozor. Ecce ait, quòd minus videretur timendum, vt per infideles, & longè diſſitos populos aliquid patiamini. Verùm id non eorum virtutis, ſed meæ permiſſionis erit, vt ſint flagellum furoris mei. Quid enim aliud tyranni ſunt, cùm terras

alienas inuadũt? Attila Hunnorum Rex talẽ ſe agnouit, cùm in præfatione ſuarum literarum hæc ſcriberet: Attila filius Bendetruc, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratia Rex Hunnorũ, Medorũ, Gotthorum, Dacorum, metus orbis, & flagellum Dei. Talem ſe Tamburlanes. Cùm enim argueret eum quidam de crudelitate, Num, inquit, cõmiſſum mei Dei flagellum agnoſco? Per veſpas, ranas, pediculos profligauit Deus Ægyptios: nunc profligabit per Chaldæos.

Deſcribit autem eos, vt *Gentem amarã*, id eſt, iracundam & furioſam. Ita enim contigit furioſos amaro quodam humore abundare. *Amaram* etiam, vt quæ amaritudinem & dolorem populis incuſſura ſit. Sic enim Paulus amarũ dicit, pro moleſto. Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Et amaritudines dicuntur moleſtiæ: vt cùm legitur, Et in amaritudinibus moratur ocul⁹ meus. Et Noëmi, Nolite me vocare Noëmi, ſed amarã, quia amaritudine repleuit me Dominus. *Gentem velocem* vocat *Nimhar*, quo nomine etiã præcipites & indiſcreti intelliguntur. Eſa. 59. Feſtinant vt effundant ſanguinem innocentem. & Pſaltes, Veloces pedes eorum, &c. Viã pacis non cognouerũt: non eſt Dei timor ante oculos eorum. *Col. 3.*

Deſcribit & Chaldæos à multitudine, qui *ambulent ſuper latitudinem terræ, vt poßideant tabernacula non ſua*. Cùm enim Chaldæa ſuos indigenas capere & alere non poſſit, nouas illi

ſedes ferro & igni cõparare coguntur. Hinc fit vt ambulet *ſuper latitudines terræ*, huc & illuc diſcurrat, non vt terram colat, non vt conſtruat, ſed vt rapto viuat, & gladio alienas poſſeſſiones inuadat.

Ex his manifeſtũ eſt id quod Sapientia clamat: Per me Reges regnãt. Si enim Deus manũ auerterit, quomodo non in prædã & vaſtationem conuertantur omnia? Quomodo non ex imis & longiſſimis terræ partibus excitabit, qui ſibi ab iniquis poſſeſſorib' regnũ vendicent? Hoc in Turca conſpicite. Quales olim illi? Scythæ nimirũ, qui cùm præ multitudine in ſuis regionibus habitare non poſſent, Tanai tranſacto ceu Iſtro, olim Thraciã penetrarunt, & inde Arabibus adiuncti, Græciam occuparunt: ita vindicante Deo Chriſtianorum principum ſcelera & diuiſiones. Et quæſo, quas non Scythæ regiones inuaſerunt? hos olim in plauſtris habitaſſe, ob paſcua legimus. Quæritur etiam, num ex illis Sicambri etiã prodierint. Sic *poſſederũt tabernacula non ſua*. Hoc ad maius doloris argumentum: vt cùm, ait paſtor,

Niceph li. 11. hiſt. Eccl cap. 48. & lib. 13. c. 5.

Iuſt. lib. 2. hiſt.

Ammonius lib. 1. hiſt. Franc.

Impius hæc tàm culta noualia miles habebit?
En queis conſeuimus agros?

Virg. Aeglog. 1.

Ergo & extraneis tot caſtra, tot etiã vrbes extructæ ſunt? Ergo & regnũ tot bellis defẽſum, tot legibus munitũ fuit, vt vnico impetu cederet in partem extraneorum? immò & infideliũ? Quàm enim olim florẽs erat Oriẽtale imperiũ, quàm mira Conſtantinopoleos

ędificia? Et ecce tamē à Mechmete capta eſt, ipſæ Imperatoris filię ſtupratę & occiſæ ſunt, Imperator verò miſerè interiit. *Leonic. Chalc. lib. 8 de reb. Turc.*

1 Hinc facilè colligimus, nec viribus humanis, nec diuitiis, ſed Dei fauore imperia contineri. Nam è tenuibus populis, Scythis, profugis, ecce quàm latè patēs imperium: & ex populo & imperio tam magno, in quam captiuitatem omnes redacti ſint.

2 Sed & incerta rerum poſſeſſio deſignatur. Theſaurizat quis, & ignorat cui congreget. Verùm & id fortè nimis triſte videbitur, cùm ſaltem ſuo tempore diues ſuis diuitiis præeſſe poſſit. Atqui & hoc etiā incertū eſt. Quot enim per contentiones, lites forenſes, à ſuis poſſeſſionibus excluſi ſunt? Quot populi bellis laceſſiti & victi, è ſuis domibus & vrbibus in peregrinas regiones captiui tranſmigrarunt? Adeò nihil permanet ſub ſole. Nec quid tutius eſſe poteſt, quàm ſi in protectione Dei cœli commorati fuerimus.

Hoc etiam ex ipſo Iſraëlitarum exemplo colligamus. Quis poſſedit tot, tamque preciosa vaſa templi & domus regiæ, niſi Chaldæi? Quàm verò inſignis erat domus Salomonis? Quot ſumptibus ædificata? Quā inſignia ædificia principum & Hieroſolymis, & cæteris in vrbibus erant? Et ipſa tamen aut igne conſumpta, aut ab alienigenis poſſeſſa ſunt.

ORATIO.

HÆc ſunt iracundiæ tuę flagella, ô Deus, quibus ſuperbos humilias, rebelles ad obedientiam flectis, & doces quàm horrendum ſit incidere in manus tuas. Atque vtinam aſperitatem iudiciorum tuorum attendamus, nec tua benignitate & patientia abutamur. Vtinam tam prudentes ſimus, vt ex aliorum exemplo cautiores euadamus. Ne etiam Barbarorum incurſionibus atteri, ne Turcarum tyrannidi ſubiici permitte: ſed propter temetipſum & gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris. Amen.

HOMELIA V.

Horribilis et terribilis eſt, ex ſeipſa iudicium & onus eius egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis. Et diffundentur equites eius. Equites enim eius de longè venient. Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, & facies eorum ventus vrens, &c.

INter animalia eadem ferè varietas eſt quæ inter homines. Quædam enim animam generoſiorem habent, quæ amore potius inducas quàm violentia. Sunt verò alia, quæ cogi volunt, pigra nimirùm, &

rùm, & abiecti animi. Eccleſiaſtici 33. Cibaria & virga & onus aſino : panis & diſciplina & opus ſeruo. Laxa manus ſeruo, & quærit libertatem. Sunt tamen generoſioris indolis homines, quibus fræno potius quàm calcari ſit opus.

Quæ autem affectionũ apud homines, eadẽ eſt actionũ ratio apud Deum. Sunt enim quos amicitia & lenitate flectit Deus. Quòd ſi qui ad iumentorũ & aſinorũ pigritiã, & laſciuiã venerint, tum virga eos ille percutit, vt ad animũ redeant. Neque ſubtrahitur virga ab aſino, niſi cùm promptiùs ea facit, quæ voluerit agaſo. Ita neque ſubtrahentur diuinæ iracundiæ flagella, niſi nos ad Dei præcepta cõpoſuerimus. Hæc eſt illa cõminatio & ſignum Ionę, quod minatur Chriſtus Iudęis: hoc etiam Propheta per Chaldæos. Cũ enim ſe eos immiſſurum cõminaretur, ne fortè non ſumma mala obuentura ſibi putarent Iſraëlitæ, adiecit illos eſſe Gẽtem *amarã* & furioſam, velocem ad effundẽdũ ſanguinẽ, rapacem, & quæ veros hæredes à ſuis poſſeſſionibus eiiceret. Nunc adiicit, *Horribilis & terribilis eſt*, vt quæ ſuo aduentu horrorem & terrorẽ omniũ animis incuſſura ſit. Sic enim dies Domini magna & horribilis dicitur. Et de Deo dicitur, Terribilis, & quis reſiſtet ei? Extunc ira tua. De cœlo auditum feciſti iudicium. Veſtrum nomen, inquit, olim omnes terrebat: è conuerſo terrebimini primo barbarę Gentis acceſſu. Cæterùm terror diuinæ vindictæ ar- *Oſee. 2.*

gumentũ eſt, cùm ſola aduenientis exercitus fama concutitur populus. Sic enim comminatur Dominus præuaricantibus mandata ſua. Qui de vobis remãſerint, dabo pauorem in cordibus eorũ, in regionibus hoſtiũ: terrebit eos ſonitus ſolij volãtis, & ita fugiẽt quaſi gladium. Cadent nullo perſequente, & corruẽt ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes. Nemo veſtrũ inimicis audebit reſiſtere. Euaginabo poſt vos gladiũ, eritq́; terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ. An non poteſt ſcilicet in paucis contra multos, magnos animos Deus immittere: qui per 300. duce Gedeone, tot Madianitas proſtrauit? Sed terror hîc flagellũ Dei eſt, cũ cuiuſquam conſcientia illos iudicarit, qui toties Deum offenderant. Hic terror eſt, quo concutiebatur Adam, cũ ſe abſcondit, ne in cõſpectum Domini, in quẽ peccauerat, prodiret. Vocem tuã Domine, audiui, & timui, inquit, & abſcõdi me. Ex eo igitur cognoſcetis, quòd Deus per Chaldæos vos perſequetur, cũ & ipſi terrore concuſſi, veſtri iudices eritis: & apud ſe quiſque confitebitur, hæc omnia ſibi ob iniquitates iuſtè obueniſſe. Exaggerat tyrannidẽ Nabuchodonozor, & ipſius Chaldæorum gentis. *Ex ſemetipſa iudiciũ eius*. Vbi natio illa vos ſibi conquiſierit, & tabernacula veſtra poſſederit, non iam vobis de veſtra gente principes conſtituet, non legibus veſtris innitetur, vt ſecundum illas ſententiam ferat: ſed pro ſua libidine ex ſeipſis princi-

Leuit. 26.

Geneſ. 3.

Theoph.

pes deliget, quibus erit pro ratione voluntas. Et hoc quidē iuſtè continget: vt qui Dei legē contēpſiſtis, & in mendaces ſenſus diſtraxiſtis, illa priuemini: & qui alioiū querimonias non ad regulam iuris recepti, & patriarū legū, ſed ad rationem munerum & amicorum iudicaſtis, ipſi iudicemini ex arbitrio barbararum nationum. Prou. 29. Cùm defecerit Prophetia, diſſipabitur populus: qui verò cuſtodit legem, beatus eſt. Hîc Prophetiā intellexit, non modò pro ſcriptura, ſed pro vero ſenſu & interpretatione Prophetarū, & totius ſacræ ſcripturæ, ceu legis diuinæ. Cùm enim contigerit hanc corrumpi, prophanari, argumentum eſt diſſipationis populi: cū alioquin hic beatus futurus ſit, qui legem cuſtodierit.

Quid verò pernicioſus eſſe poteſt, quā ſi legum rationem ij minimè habeant, qui iudicant? Quæ in animis feritas maior eſſe poteſt, quàm vt reiecto omni conſilio, adinſtar inconſultiſſimæ mulieris dicatur,

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas? *Iuuen ſat. 6.*

Etenim iuſtitia, legis eſt finis: lex verò, principis opus: princeps, Dei imago omnia digerētis, inquit Plutarchus. Neque is opus habet Phidia, qui fingat, aut Polycleto, vel Myrone: ſed vt virtutis opera ſeipſum Deo quā ſimillimum reddat. Quale ſcilicet elegātiſſimum in cœlo ſimulacrum ſui Deus ſolem atque Lunam infixit: tale in ciuitatibus eius exēplum eſt, atque lumen princeps, *Plutar. ad principem indoctum.*

Iura Deo ſimilis qui dat mortalibus æqua. *Hom Odyſſ. 7.*

Idq́ue habẽs diuinũ,non ſceptrũ,nõ fulmẽ, non tridentem. Quomodo nonnulli ſe pingi ac fingi iuſſerunt,ſtultitiam ſuam inuidiæ exponentes,dum affectant ea quæ conſequi nequeunt. Quid enim regium eſt magis quàm lex:quid tyrannicum magis, quàm ſi quis ex animi motibus inconſultis fulmen furoris in ſubditos immittat? Hæc Iſraëlitis.

Ex ſeipſa onus eius egredietur. Chaldæus, ſẽtẽtia eius. Heb. *Vſeetho*, exaltatio eius. Septuag. λῆμμα αὐτῦ, aſſumptio eius. Theophilactus variè interpretatur. Aut, inquit, quia Chaldęi de bellorum euentu ſuos magos conſulebant: inde dicit *Lemma eius*, hoc eſt, vaticinium & prædictio de bello non ex alienis & longè accitis vatibus, aut longè petitis oraculis obueniet: vt iis qui olim ex Italia & longè ſecretis regionibus, Delphos petebant: aut Balach, qui Balaam è Meſopotamia accerſiuit,vt populo Dei malediceret. Ex eo verò maior ſuccreſcet audatia Chaldæis, quòd & ipſi ſuæ Gẽtis indigenas peritiſſimos habeant, è quibus ſpes victoriæ contra Iſraëlem iniiciatur.

Aut *lemma eius*, id eſt, onus & comminatio facta Iſraëli, implebitur per ipſam Gentem. Aut ſi Chaldaicam interpretationem attendamus, concurret hæc ſententia cũ priore. *Onus* enim pro iudicij ſeueritate, & decreto tyrannico, quod ex ipſa natione in Iſraëlitarum perniciem emanabit. Quod etiã ex Symmachi verſione colligimus, quã Hie-

ronymus & Theodoretus obſeruāt. Ipſa ſibi iudicabit, & decretum ſuum exequetur. vel, Ex decreto ſuo egredietur.

Cæterùm ne quis fortè ex pop. Dei ſibi fuga conſulturum ſperet, vbi res deſperatæ videbuntur, quod & Sedechiam Regem tentaſſe legimus, cùm iam longa obſidione Hieroſolyma nutaret: ideò celeritatem equitum hoſtilis exercitus exprimit. *Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis*, In deſperatis rebus fuga remedium aliquod adfert: Sic apud Matthæum Chriſtus ait. Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Et, ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Ita enim fit aliquando, vt qui fuga ſibi cõſuluit, collectis viribus, rurſus in hoſtem procedat, eumque vincat. At verò quò non fugientes Iſraëlitas aſſequantur velociſſimi equi Chaldæorum? Alludit enim ad interceptionem fugientis Sedechiæ. Cùm enim Chaldæi Hieroſolymam in circuitu obſediſſent, fugerat Sedechias Rex Iuda per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. Hunc verò perſecutus eſt exercitus Chaldæorum, cõprehenditque eum in planicie Hiericho, & omnes bellatores qui erant cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eum. Sed & cũ tanta velocitate ferantur equi, quò nõ illis præda pateat? Effundentur illi non ad pugnandũ, cùm nullus ex attonito populo illis reſiſtere audeat, ſed ad deprædãdum, ne fortè locus ſit tã abditus, aut longè poſitus, qui non ab illis ſpolietur. *4. Reg vl.*

Quid autẽ pardo aut furioſius, aut ad ſãguinẽ procliuius eſt? Non produxit canes in exẽplũ, non lepores timidos, non ceruos, nõ alia animalia, quã quæ cruore madeſcunt, & nonnũquam etiam in homines feruntur, maximè ſi furore cõcitẽtur. Si ad equos hoc referamus, magnã militiæ Chaldaicæ virtutẽ ex iis colligit, cùm ſint apud eos equi leuiſſimi, ſuperbi & crudeles. Pſal. 19. Hi in curribus, & hi in equis. Omniũ autẽ optimi ſunt Ægyptij: illos verò ſequũtur & Babylonici & Parthici. Probamus autem eos qui ſint velociſſimi, elati, & ad pugnandum parati, quos non terreat ſanguis & clamor. Nam & ſic inſtruuntur,

-quantum clamore iuuatur
Elæus ſonipes, & quos caſtra iuuant, & lituo
Tubæ permixtus ſonitus.

Habebant etiam Elephantos Chaldæi: ſed & hi graues ſunt, nec ad currẽdum & perſequendũ apti ſunt. Quid quod Thracis equos humano ſanguine pingues legimus: cũ Diomedes Thraciæ Rex equos humana carne pauerit? Ergo furioſos & celerrimos equos Pardis comparat.

Sed & vim habet, quod ait, *acutiores erunt lupis*. Nam Heb. dictio eſt, *vehadu.* & acuti erũt, id eſt acutioris iræ: quam etiam acuto & eleuato vlulatu produnt. Vt deſignet Chaldæos ſuis vlulatibus concuſſuros omnes Iſraëlitas. Nec ſimpliciter eos lupis confert, ſed & *veſpertinis*, id eſt ipſis ſimiles eos futuros, qui tota die fame ad rabiem concitati, vbi veſpera

acceſſerit, liberiùs prodeunt, & quod animal occurrerit, furioſè & concitato gradu ipſum perſequuntur: nec deſiſtunt, donec ſe ipſo pauerint, & in ſanguine occiſæ belluæ ſe prouoluerint. Sic olim Pompeii ferocem animum in inuidiã excitabat Cæſar, his verbis:

Vtque feræ tigres nunquam poſuere furorem, Lucan lib. 1. Pharſ.
Quas nemore Hyrcano matrũ dum luſtra ſequũtur
Altus cæſorum pauit cruor armentorum:
Sic & Scyllanum ſolito tibi lambere ferrum
Durat Magne ſitis.

Et diffundentur equites eius, de longè venient. Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedẽdũ. Multitudinẽ maximã deſignat, cũ diffuſuros ſe dicit, vt quos nec regio illa capere, aut alere poſſit. Latitudo autem Chaldæorum imperij exprimitur, cùm ait, *De longè veniẽt*, quia à Tigri ad Euphratem imperarunt, & ſibi Perſas & Medos ſubiecerunt, & quicquid magno illi imperio Aſſyriorũ parebat. Steterat quidem regnum Aſſyriorum per mille ferè trecẽtos annos, vt ſcribit Rabbi Saadias in 1. ca. Danielis: verùm tranſiit in Babyloniorũ ceu Chaldæorum poteſtatem, occaſione cladis illius quam Sẽnacherib Aſſyriorum Rex acceperat per Angelum. Illo enim à filiis occiſo, cùm regnaſſet Aſſaradon filius eius, fecerunt illius ineptiæ, vt Merodach Baladam Babyloniæ præfectus ſibi rerum ſummam vendicarit. Pernicitatem autem aquilarum Dauid teſtatur, cùm Saulẽ & Ionathã velociſſimos diceret, cũ aquilis eſſent velociores. 4 Reg 19

Quid enim pernicius eo eſſe poteſt, quod & nubes tranſcendit, & in ipſum ſolem fixos oculos intẽdit? Nec enim lumine, aut nubium denſitate reuocatur. Hæc vis in aquilis ſumma eſt, qua cæteras etiam volucres ſuperant. Cæterùm & ipſæ ex alto ſpatia locorum, acie oculorum ita diſtinguunt, vt facilè ſecernãt, quam prædã ſibi vendicaturæ ſunt. Nec quidem eas falli contingit, cùm omnia præcaueant. Ita exprimit Propheta hoſtium circũſpecta in omnibus cõſilia: quaſi dicat. Minus fortè illi vos terrerent, ſi exploratam non haberent regionem veſtram. Aliqua enim ſpes vobis eſſet reliqua, vt relictis vrbibus in ſolitudines, & minus nota loca vos reciperetis. At verò longè aliter de illis putandum eſt. Norunt enim & vrbium ſitus, & fluminum tranſitus, & regionum dæuia quæque, & peruia. Nihil denique eos latet, quo non facilè omnia perſcrutentur. Inde fiet, vt ſelectis ſibi veſtræ regionis, & quaſi per ſortem diuiſis partibus, nulli parcant, omnia poſſideant.

Atqui & maximè timẽdum eſt ab inimico, ſi illius regionis, quam inuaſerit, omnes aditus & receſſus nouerit. Alioquin ipſe facilè inuoluitur, ſi ſeſe temerè in ſinum regionis effuderit. Nã olim legimus M. Aureliũ Antoninũ cũ ſuo exercitu inter montes Germaniæ ita concluſum fuiſſe, vt niſi Deus Chriſtianorũ precibus, fulgur & lapides immiſiſſet, vix facilè emerſurus fuiſſet. Iulianum autem cũ Cteſiphõtem inuaſiſſet, & iam ſibi Perſidem

Iuſtin Apolog. 2. pro Chriſt.

Niceph. li. 10. ca. 34 Hiſt. Eccl.

polliceretur, à quodam ſeductum, qui ſuę patriæ libertatem vitæ ſuæ præferens, Iulianum in dæuia, immò & in inſidias hoſtiũ deduxit.

At verò ſi omnia hæc perſpecta habuerit hoſtis, quomodo non facilè præualeat? Hinc ſit, vt dicat Michæas, Inimicos hominis domeſticos eius: nec enim peior eſt aut lupꝰ, aut vulpes, quàm qui in domum aliquam admiſſus & nutritus fuerit. Hinc & olim & nunc quidem cautum eſt, ne quis extraneus vrbiũ præſidia & turres perſcrutetur. *Mich.7.*

Cæterùm vim habet, quod adijcit, *diffundẽdos* illos, *ad comedendum*. Magna quidem eſt aquilæ rapacitas, ſed & illorum eadem. Tantæ ſũt ingluuiei aquilę, vt nõ niſi paucas vna regio alere poſſit. Quanto ergo cum furore feruntur ad prædam? Magno vni terrarum ſpatio opus eſt, vt eſcas nãciſcatur ad paruulorũ ſuorũ. Nã & calidiſſimi ſunt ſtomachi, vt facilè digerant: & vaſti, vt multis eſcis egeant. Vnde fit, teſte Plinio libro 10. Naturalis hiſtoriæ, capite 3. vt quandoque alterum pullorũ, tædio nutriendi, parens expellat & perſequatur, vt ęmulum rapinæ: neque tam ſenio, aut alia ægritudine, quàm fame moriantur. Non minor verò eſt Chaldæorum illorum ingluuies & rapacitas, qui veſtram nõ Galliam dico, ſed Palæſtinam inuaſuri ſunt. Veſtra autẽ regio ſatis abundat adipe frumenti, vini & olei. Quid autem erit hæc abundantia coram gulonibus illis, quorum Deus venter eſt, qui

totos ſe dedunt calicibus epotandis? Quippè non tam belli gloria, quàm viuendi neceſſitate bellum ſuſcipiunt, cùm videāt natiuum ſolum ſibi non ſufficere, veſtram autem regionem adeò fœcūdam eſſe. Bruci ſunt, veſpæ, muſcæ, ad nihil aliud natæ, quàm vt ventris gratia, omnia quibus incubuerint, depopulentur & depaſcant. *Omnes ad prædam veniēt.* Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Sequētur igitur vos victus gratia. At-
Iuſtin. hiſt. lib. 1. qui non ea intentione olim bella geſta ſunt, ſed aut gloriæ cauſa, aut vindicandorum ſuæ regionis terminorum. Ita primùm ad iuſtitiæ adminiſtrationem, vt Impius è cœlo deturba-
Apoc. 12. retur, legimus in Apocalypſi prælium magnum factum eſſe, Michaëlem autem & Angelos eius præualuiſſe. Sed & inter Gentiles bella olim ſuſcepta ſunt, nō auaritiæ aut prædæ, ſed gloriæ cauſa, ad propagandos fines, vt tradit Iuſtinus. Nec quidē maiori ratione aut Hercules, aut alij quique ex principibus pri-
Lib. 1. Inſt. diui. c. 18. mis, teſte Lactātio, in numerum Deorū relati ſunt, quā quòd ad patriæ, immò ad totius orbis defenſionē ſeſe armarūt, vt tyrānos & occurrētia monſtra deuincerent. Iſti vt fures & latrones è ſpelūcis ſuis, è tuguriis & plauſtris ſuis, in latitudines terræ veſtræ egredientur. Quāta verò olim primis illis nobilitatis proceribus diſciplina inerat, ne quis militū ſuorū prædatoris nomen ſubiret? Auguſtinus qui-
23 q 1. can. Militare. dem militiam defendit, contra Fauſtum Manichæum, ſed quę iuſta cauſa, & iuſtis medijs

ſuſcipiatur, non vt prædetur, ſed potius vt quod ſuum eſt, quiſque vẽdicet. Quid quod, cùm Iſraëlitæ bellum cum Gentibus inirent, noluit Deus ne agnos quidem accipi, ne fortè bellum prædæ gratia ſuſceptum eſſe videretur? Hinc enim condemnatio Acham, qui de anathemate ſuffuratus fuerat: & reprobatio Saulis ſucceſſit, qui Agag Regi pepercit, & oues & boues Amalechitarum diuiſit ſibi in prædam parta victoria. Hæc fuerunt bella fideliũ. Verùm fures iſti & ſicarij, vt ſunt ab omni humanitate alieni, etſi cæteris ſe ſapiẽtiores arbitrentur, *omnes ad prædã venient*. Quo fiet, vt nec locis ſacris, nec regijs theſauris parcãt. Nulla illos cultus Dei reuerẽtia à rapinis auocabit. Quod de Chaldæis dicimus, facilè etiam de ijs intelligere poteſtis, qui in Chriſti Eccleſiã graſſantur, ſiue hi è natiuo noſtro ſolo, ſiue ab exteris nationibus prodeant. Quomodò enim nobis perſuadebũt ſe ad aliquã aut pietatis, aut morum reformationẽ veniſſe, quos in modum pardorum, luporum, & aquilarũ, ad prædã cucurriſſe & currere, magno noſtro malo experimur? Prætextus non abſimilis illi quem prætulerunt Ariani, Donatiſtæ, Circumcelliones, & Albienſes, qui cùm ſacra & prophana omnia diriperent, etiã perſuadere volebãt hæc ſe oĩa reformationis gratia perpetraſſe. Cur verò, vt exprobrabat Optatus, hæc omniá in ſuos cuiuſq; vſus cõuertebat: ceu calicem, ceu ſacrum aliud vas confregiſſent? Ergo tam cæci, tã idiotæ, tam

Opt. lib. 1. in Parmenianum.

inſipientes ſumus, vt prędones iſtos regni aut religionis reformationẽ moliri arbitremur? *Facies eorum ventus vrens*. *Cadim*, Subſolanus vẽtus dicitur. Eſt autem ille ventus in illis maximè regionibus adeò vehemens, vt vineas, fruteta, agros, & folia quæque exſiccet. Hic eſt, quem Pharao ſpicas exurentem ſomniabat, quem Deus ad exſiccandum mare rubrũ immiſit. Per *facies* autem, eorum aduentus intelligetur, quo ſterilitas magna regioni inuehatur. Falluntur enim, qui ſterilitatem terræ omninò referunt ad ipſius terræ naturam, & non ad illius induſtriæ penuriam, quæ requiritur. Quid enim terra, niſi pluuijs irrigetur, ſulcetur, fimo aſpergatur? Nulla enim eſt tã pinguis, quę ſi ſibi relinquatur, non vepres & tribulos proferat. Neque eſt vlla tam ſterilis, quam non labor & induſtria peruincere poſſit. Sic horti penſiles Babyloniorum à Semiramide conſtructi, immò & magna illa Palæſtinæ vbertas, à cœlo quidem, ſed non à ſolo, verùm ab hominũ induſtria conquiſita. (*Diod. Sic.*) Porrò quid iſtæ incurſiones, & toties intentata bella aliud faciunt, quàm vt armenta arationi deſtinata paſſim abducãt, horrea depopulentur, granaria incendant, ſementes euertãt, colonos aut occidant, aut fugitiuos reddant? Iam verò ſi arua ſemente, colono, boue, & equo aratorio, ſi fimo etiam & ſtercore deſtituuntur: an non certum eſt magnam annonæ penuriam conſequi oportere? Require ergo ventum illum vrentem à militũ & bellorum

aduentu, quos nihil aliud moliri, aut exequi videmus, quàm patriæ, & totius populi ruinã. Nã quæcũque occurrũt, vaſtãt & diſperdũt.

ORATIO.

DA igitur, ô bone Deus, pacem in diebus noſtris, quę ſecũ pietatẽ, & omnẽ ſanctimoniam, morumq́ue deprauatorum reformationẽ inferat. Quæ nos ad æterna bona promoueat, & temporalibus vti permittat. Quæ nobis in vtroque homine ſecuritatem præſtet. Nã ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quę nobis ſecuritas reliqua erit, niſi per te? Quæ non armentur contra nos creaturæ ad vindictam ſcelerum noſtrorum? Auerte igitur à nobis ſeditiones, diſcordias, inteſtina & externa bella. Præualeat omnibus Eccleſia tua, quam contra portas inferi conſolidaſti, vt glorificetur nomen tuum in æternum. Amen.

HOMELIA VI.

Et congregabit quaſi arenam captiuitatem: & ipſe de Regibus triumphabit, & tyrãni ridiculi eius erunt. Ipſe ſuper omnẽ munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

MAgnam ſeueris puritatẽ magni vẽti, & magnũ ſolis ardorẽ pluuia & tempeſtas conſequitur. Hoc etiã in humanis rebus. Si quis ſe videat elatũ, & honoratũ: timeat

ne tēpeſtas cōſequatur: & quicquid abūdet, meminerit paupertatis, & aduerſæ fortunæ. Eccleſiaſtici 18. Memento paupertatis in tēpore abundantiæ, & neceſſitatem paupertatis in die diuitiarū. Qui ſanꝰ eſt, nō abutatur valetudine, vt excedat in potibus, cibis & venere. Statim enim proripit morbus ex peccato, tam diuturnus aliquando, vt nos ad ſepulchrum trahat. Etiam & qui in ſublimi conſtitutus eſt, ne infletur: proprium enim Dei eſt deponere de ſede, & exaltare humiles. Hoc nunc in Nabuchodonozor cōfirmat Propheta. Deſcripſit illius exercitum, ferocem, rapacem, violentum: nunc & ipſius tyranni ſuperbiam exaggerat, ita tamen vt tandem oſtendat, quantū ipſum, qui ſibi Deus eſſe videbatur, ipſe rerum omnium opifex humiliauerit. hinc quidem ſpem populo ſuo concilians, & oſtendens Deū impijs hominibus vti ad vindictā ſuorū, non tamen illorū impietatē probare, immò potius graui tandem ſupplicio proſequi. Duo ergo dicturi ſumus, vanā Nabuchodonozor elationē, demum & eius humiliationē. *Congregabit*, ait, *quaſi arenam captiuitatem*. Hac ſimilitudine amplificat captiuorū numerū, vt ſit alluſio ad plebis Hebrææ multiplicationem, quam ſic Dominus aſſerebat Abrahæ. Multiplicabo ſemē tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenā quæ eſt in littore maris. Hunc ergo populū, qui arenæ maris comparatus eſt, in captiuitatē abductū, arenæ nomine ſignificat. Nec tantùm eorum multi-

tudo intelligitur,ſed & pretiũ, quo illos eorum aduerſarij habituri ſunt. Non pluris ſcilicet eos facturi, quàm arenam quæ vndis alluitur, in quam ſpumantis maris ſordes deijciuntur, & quæ prætereuntium pedibus conculcatur. Quo enim precio cenſeret promiſcuam plebeculam, cùm & ipſos Reges deluſurus ſit, ipſos Chriſtos & vnctos Dei pro meris nugis habiturus? *Nam & ipſe de regibus triumphabit.* quo extremam illius inſolentiam notat. Non ſat erit, inquit, reges viciſſe, niſi & ipſos captiuos ferro onuſtos, & compedibus, in triumphum deducat. Hic enim inſolentiũ Romanorum mos fuit, vt ſi quod regnum imperio adieciſſent, illius Regem & Duces vinctos traherent in omnium conſpectum & ludibrium: ipſis interim victoribus aureo curru elatis. Quo fiebat, vt multi mallent propria manu, aut aliquo veneno perire, quã victi in hoſtium manus deuenire ad ludibrium inſolẽtis populi. Hac de cauſa Brutus ſibi gladium violẽtum admouit: ſed & Cleopatra ſibi ſerpentes applicuit, ne pro captiuis haberetur. Quin & Razias, cùm à quingentis viris iuſſu Nicanoris quæreretur, perfracto ferè oſtio ſe gladio petijt, è muro tandem in turbas præcipitauit, & locum dantibus, in rupem præruptam aſcendit, & vtriſque manibus inteſtina ſua proiecit, rogans Deum hæc ſibi in reſurrectione reſtitui.

Plutarchus in Bruto.

Idem in Antonio.

2. Mach 4

Ludibrium autẽ exprimit. *Et tyranni ridiculi eius erunt.* Heb. *Vero* *enim miſchach. Ro* *enim*

autem capita populi ceu gubernatores deſignat. Ipſi, inquit, erunt ei riſus. Nos ſequimur Septuag. qui tyrannorum nomen expreſſerunt, καὶ τύραννοι παίγνια αὐτοῦ. Hoc autem olim erat nomen Principum: ſed cùm arrogantiùs & ferociùs dominarentur, nomen Tyrannidis vt inſolentis cuiuſdam principatus, & contra ius vi arrogatæ dominationis, rationem prætulit. Solent autem rideri, qui potentiorē aggredi nituntur, ipſi omninò viribus impares. Sic Pſal. Deus vanos impiorum conatus deriſurus eſſe & ſubſannaturus legitur. Nabuchodonozor igitur deludet Reges & Principes, quos ſibi vendicabit, vt infirmos & debiles. Fuit enim, & eſt hæc Barbarorum inſolentia, vt in viribus, & armatorum multitudine, reliquis nationibus contemptis, glorientur. Sic Rabſaces exprobrabat Ezechiæ, cùm potentiam Regis ſui
4. Reg. 19. Sennacherib exaggeraret: Tu ipſe audiſti, quid fecerunt Reges Aſſyriorum vniuerſis terris, quomodo vaſtauerunt eas. Num ergo ſolus poteris liberari? Nunquid liberauerunt dij Gentium ſingulos quos vaſtauerunt patres mei? Vbi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex ciuitatis Sepharuaim, Ana & Aua? Quàm inſolenter autem conquiſitos Reges Barbari olim tractarint, manifeſtum eſt ex
Iud. 1. Adonizebech, qui & ipſe captiuus inter manus filiorum Iſraël, cùm & ſummitates manuum & pedum reſcinderentur, iuſtum Dei in ſe iudicium hoc agnouit. Nam ſeptuaginta

ta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Et hac ipſa ſanè crudelitatis ratione, cùm Saul in ſe omnem Philiſtinorum aciem irruere videret, iam à ſagittarijs grauiter vulneratus, dixit ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniãt incircunciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Ita tandem maluit propria manu occumbere, quàm ludibrium incircunciſorum admittere. Qua verò ferocia & barbarie Principes exercitus Regis Aſſyriorum Manaſſem Regem Iuda tractarunt? Captiuum, & vinctũ catenis & compedibus duxerunt in Babylonem. Quod etiam crudelitatis genus in comprehenſum Regem Sedechiam non exercuerunt? Duxerunt eum ad Regem Babylonis in Reblatha, qui locutus eſt cum eo iudicium. Filios autem Sedechiæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & abduxit in Babylonem. Si quis varias Gentiũ hiſtorias obſeruauerit, hoc inſolentiæ genus omnes ferè olim victores in deuictos Reges exercuiſſe cognoſcet: maximè priuſquã Chriſti Euangelicam legem admiſiſſent. Nam & hæc docet inimicis condonare, & in ipſa afflictione, idem nobis imminens periculum intueri. Veruntamen manet hic faſtus in Barbaris, quos adinſtar Nabuchodonozor Deus in nos agere permittet ob peccata noſtra. Laonicus Chalcondylas ſcribit, Tamerlanem,

1 Reg 31.

2. Par. 33.

4. Reg. 52.

Lib 3. De reb. Turcic.

quem Temerem vocat, ex cuſtode equorum, prædonẽ, è prædone Babyloniorum Regem euaſiſſe, inde arma mouiſſe in Baiazetẽ Turcorum Imperatorem, quem fuſum, & comprehenſum caueæ ferreæ incluſerit, circunduxerit, ex eius humero in equum inſilierit, ſub menſa micis & oſſibus in modum canis pauerit.

Nec multo ante hæc tempora, Sultanus Selinus Turca, cùm magnam Cairi vrbem vi cepiſſet, Soldanum illorum Tomambey comprehenſum, per tres dies torturæ dedit, vt ex eo noſſet quo in loco reconditi eſſent regij theſauri: tandem veteri camelo impoſitum, vinctum, circunduci fecit, ſequentibus illum ſed pedes, ſex fidelioribus Principib' vinctis. Per ſex demum dies ligno alligauit, indutum viridi veſte lacera, in ludibrium. Tandem in carnificis officina, vbi & boues in partes diſcindũtur, ſtrangulatus eſt. Hæc ſunt illa flagella Dei, quibus nobiliũ, etiã & Principũ inſolẽtia corripitur, & deprimitur: quibus intelligũt ſe nõ minus afflictionibus & varijs periculis patere, quã abiectiſſimos quoſq; ex ſubiectis. Quod ergo etiam nunc Barbari minãtur, hoc Nabuchodonozor intulit Principibus Hebræorum. Et ne fortè contra hoc flagellum arbitrarentur ſufficere munitiones ſuas, adijcit. *Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Quid potentius Tyro vrbe, cùm vndique mari vallaretur? Atqui ille proiecto in mari aggere,

Hierony. lib. 1. Cõm in Habac.

peninſulam fecit de inſula, & adytum in vrbem obſtructo ambitu, inter fluctus maris. Quid igitur in eum facient munitiones? Tantus enim ei numerus eſt hominum, vt facilè comportare poſſit tantos aggeres, qui altitudinem turrium & munitionum ſuperent. Ita quidem de Xerxe olim proditum *Iuſt.lib.* 3. eſt, quòd ei tam copioſus fuerit exercitus, vt fluuios exſiccare, ceu transferre, & montes æquare poſſet. *Puluere eam capiet*, vt habet Heb. dictio: non opus erit tot machinis, cùm erigere poſſit montes, qui vrbi quantumuis altæ imperent, adeò vt nullus ad murum ſeſe offerre audeat.

Tunc mutabitur ſpiritus. Ne fortè pij à fide & certa in Deum expectatione dimoueantur, ſi videant nihil ex afflictionibus ſibi remitti, ſed magis ac magis impios in ſe eleuari: & ne ipſi peccatores nimium ſecundis rebus elati, ſeſe homines eſſe obliuiſcantur: ideò prædicit Propheta magnam tandem etiam in Principe mutationem ſucceſſuram, nec ſemper arriſuros ei ſuos ſucceſſus. An non ſcilicet Deus has mutationes ſolet immittere, vt ſaltem reſpirandi occaſio afflictis relinquatur? Videbit iuſtus vindictam, ait Dauid, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Cæterùm quoſdam mors vt obſtinatiores reſcindit, alios Deus hîc varijs modis humiliat, vt retractent ea quæ ſuperbè aggreſſi ſunt. Sic *prædicit mutandum eſſe ſpiritum* Nabuchodonozor. Mutatus eſt quidem ab humana

primùm cõditione, cùm ſibi perſuaſit ſe Deũ eſſe, & aureã ſuã ſtatuã adorari iuſſit, mortis etiã indicto ſupplicio. Ita eum ſpiritus ſuperbię eleuabat. Quin & non modò de partis victorijs & conquiſitis nationibus, ſed & de ædificijs ſuis & diuitijs gloriabatur, dicens: Nõne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? At quàm mutatus & depreſſus eſt ille ſuperbiæ ſpirit⁹? Nam & ſermo ille ambitioſus adhuc erat in ore Regis, cùm vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex, regnum tuum tranſibit à te. Et ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua. Fœnum q. bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Quomodo nõ terreri potuit hac voce Nabuchodonozor, & iã ad ſeipſum reuerti? Sed & eadẽ hora ſermo cõpletus eſt ſuper eũ, & ex hominibus abiectûs eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarũ creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auium. An non magna fuit hæc humani ſpirit⁹ humiliatio & abiectio? Homo cũ in honore eſſet, nõ intellexit: cõparatus eſt iumẽtis inſipiẽtib⁹, & ſimilis fact⁹ eſt illis. Quãta mutatio hæc dexteræ excelſi? Rex erat, & ſupremam in ſubditos ſibi populos poteſtatẽ habebat: & ecce ab ijſdem deiectus eſt. Ipſe

Dan. 4.

ſibi ſummam conſiliorum rationem aſciuerat, & tamen mutatione ſpiritus obueniente, fœnum vt bos comedere cœpit. Quis igitur aut de animi, aut corporis, aut fortunæ bonis gloriari audeat, & non potiùs Deum timeat? Ab antiquis id prouerbii vſurpatum eſt,

Fortuna opes auferre, non animum poteſt.

Et ecce ſimul cum opibus, ipſe animi candor ſublatus eſt. Quis ergo in his caducis cõfidere audeat? Quot ex ijs qui ſibi ſapientes videbantur, ſtulti facti ſunt: immò & ſenſu & ratione priuati? Quot in extremã ſtultitiã deuenerunt, & animo perturbati ſunt, quia aut Deo, aut parentibus ſuũ honorẽ ſubtraxerũt? Nihil hîc moror hiſtorias. Hoc vnum ab omnibus ratũ habetur, quod, vt dicit Heſiodus, ζεὺς ὑψιβρεμέτης, facilè extollentem ſe deprimit. Hoc verò rurſus in Nabuchodonozor contemplemur. *Pertrãſibit*, inquit, *& delinquet*, ceu corruet. Pertranſibit, ait, limites humanę ſapientiæ. Quiſquis enim imperat, hominem ſemper ſe meminiſſe debet: ille verò nec his ſe limitibus concludet. Hoc verò ſapiens Solõ etiam à Crœſo requirebat. Cùm enim ille regios theſauros obſtentaret, adiecit, ad refrænandam Regis inſolẽtiam: O Crœſe, homo eſt quędã maxima miſeria. Pauſanias Rex inſoleſcens belli ſucceſſibus, eruditum præceptum petit à Simonide. Ille faſtu perſpecto monet, ne hominem ſe obliuiſcatur. Hoc Plutarchus lib. De conſolatione ſcribit. Quin & Ariſtoteles interrogat⁹, quid eſſet homo: reſ-

Theod. lib. Affect. Græc. c. de Homine.

pondit, exemplum imbecillitatis, ſpolium tẽporis, ludus fortunæ, imago inconſtãtiæ. Hoc agnouit Iob, dicens: Homo breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Adijcit ergo ad deiectionem Nabuchodonozor, *Et corruet*, peccabit. hoc enim Heb. dictio *Aſſam* deſignat. Hinc nimirũ & ipſe etiam deijcietur à Deo.

Cæterùm hinc diſcimus, quãtum homines ſecundis rebus inſoleſcant. Olim quidem, cũ Romanum imperium paupertatem amplecteretur, ſimul etiam pietatem colebat,

Dum caſa martigenam capiebat parua Quirinum.

At vbi abundare cœperunt, inſatiabili etiã quadam habendi & dominandi cupiditate, alienas regiones ſibi conquiſierũt, ſpoliarunt, diſſiparunt. Ipſi interim adeò elati, vt flocci facerent tot populorum calamitatem, tot hominum ſanguinem, qui vindicem in eos Dei manum accerſeret. Quid verò niſi eadem inſolentia Saulem pepulit, vt Dei præceptum cõtẽneret, & Amalechitis parceret? Cũ enim in oculis ſuis paruus eſſet, & aſinas patris cõquireret, tũ etiam humilẽ ſe gerebat: at verò tãdẽ amplitudine regni inflatus, nec Prophetis, nec ſacerdotibus, nec ipſi Deo ſuũ honorẽ reddidit. Infinita ſunt eius generis exempla.

Veruntamen neque nos illa terrere debẽt, cùm audiamus tantum in illis faſtum & arrogantiam à Deo reprimi. Nam quia Deũ deſpiciunt, fieri non poteſt, vt ille non eos derideat, qui dicit, Gloriam meam alteri non da-

bo. Excitauerat quidem Pharaonem, in flagellum populi ſui: ita tamen vt & illius arrogantiam vindicarit. Nam cùm Moſes & Aarō poſtularent populum dimitti in ſolitudinem, vt Deo ſuo ſacrificaret: ille & Deum requirebat, & ipſa ſacrificia deridebat. Quot verò quantiſq́ue portentis hanc animi petulantiā Deus reprimebat? Num etiam Pharaonem & exercitum eius demerſit in mare? Quid Sauli incidit poſt contemptum Dei? Num & ipſum aduerſarius ſpiritus torquebat, & tandem in belli anguſtias deductus, miſerè perijt: regnū autem ab eo, & domo eius, in eum quem æmulabatur, tranſijt? Romanorum verò faſtus quantum quæſo à ſua gloria excidit? Quantū aquila illa ſuis pennis ſpoliata eſt, cùm Oriētale imperium amiſerit, & nūc ſi quid in Occidentali ſupeiſit, adeò diuulſum & diſperſum ſit, tot habeat capita & principes, tot ſectas & opiniones, vt monſtrum potiùs eſſe, quàm imperium arbitremur.

Cùm autem legimus Deum eſſe humanæ arrogantiæ & impietatis vindicem, in ijs etiam, quos ſuſcitare viſus eſſet ad correctionem populi ſui: facilè intelligimus eum non probare interim impietates, furores, & tyrānidem illorum. Alia enim intentione ducitur Deus, vt permittat nos ab illis torqueri: alia ipſi nos torquent & flagellant. Deus quidem caſtigat, vt emendet: illi torquent, & miſerè nos afficiunt, vt perdant.

Demū & hoc facit ad cōſolationē noſtrā: ſi

tot mala nos circircũuenerint, vt facilè emerſuri nõ videamur, ſperemus è cœlo auxilium prçſtò futurũ. Hoc ſcilicet Philo Iudçus ſuos monebat, cũ pro ſua Gente apud Caium Caligulã diceret. Neglectus enim & è cõſpectu eius cum ſocijs eiectus: Bono, inquit, animo nos eſſe oportet: quia neceſſe eſt adeſſe diuinum, vbi humanum deeſt auxilium.

Philo leg. ad Caium.

Hoc rurſus in Chaldçis & Aſſyrijs conſideremus. Sennacherib à ſuis occiſus eſt, & Nabuchodonozor tandiu mentem amiſit, & cũ beſtijs comedit, donec Deum verũ agnouit. In ipſo tẽpore, inquit, ſenſus meꝰ reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei, decorẽq; perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me: & optimates mei, & magiſtratus mei requiſierũt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificẽtia mea amplior addita eſt mihi. Sic illũ Dominus caſtigauit, ita docuit quã infirmis viribus priùs niteretur, niſi illum ſummũ hoc numen ſuffulciret. Ex quo efficitur, vt per irriſionẽ dicat Propheta, *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui:* ſcilicet hæc eius virtus erat, qui ſe Deum ſuum gloriabatur, & ſibi ipſi ſummam rerum vendicabat, quaſi non ab alio Deo penderẽt omnia. Quanta quçſo vis, & non potiùs illius eſt ignominia, qui ſenſum rationis amiſit, & à ſuis eiectus, fœnum cum belluis comedit? E' quanta quæſo arrogãtia in quantã abiectionẽ deuenit? Aut per Deum, Baal idolum intelligit, quod colebat Nabuchodonozor. Atque inquit, Ecce eius fortitudo, vt nec eripere po-

tuerit ſuũ cultorem ab hac rerũ & ſui ſtatus mutatione. Idem etiam de his dicimus, qui in diuitiis, viribus, amicis, munitionibus, cæteriſque ſimilibus ſpem collocant. Nũ ſcilicet hæc omnia eos liberabunt à ventura ira? Iactantia diuitiarum noſtrarum quid profuit nobis, aiunt miſerrimi illi, qui in inferno poſiti ſunt?

ORATIO.

QVàm igitur melius confidere in te Domine, quàm ſperare in hominibus quantumuis elatis, aut viribus, aut diuitiis! Quid enim hîc tutum eſt & ſtabile? Quæ nõ aut vetuſtate conficiuntur, aut viribus concutiuntur, aut multitudine diſſipantur? Vbi tot imperia olim florentiſſima, tot vrbes & Imperatores? Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Quis ſtabit contra iudicium tuum? Sis igitur clypeus noſter, ſis protector noſter Domine. Tu enim licet ſinas impios ad tempus iuſtis dominari, illos tamen quando volueris, in inſtanti deprimes. Exalta igitur manum tuam, diſrumpe conatus hoſtium nominis tui, & da pacem Eccleſiæ tuæ, vt magnificemus te, per Chriſtum tuum. Amen.

HOMELIA VII.

Nunquid non tu à principio, Domine Deus meus, ſancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes, fundaſti eum. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris.

NIhil magis luci proprium eſt, quã illuminare: igni, quàm calefacere: nec quid luci magis eſt cõtrarium quàm tenebræ, & igni quã frigidum. Atqui Deus lux eſt: in eo igitur tenebrę nõ ſunt vllæ, ſed omnis puritas & candor iuſtitiæ. Deus ignis conſumẽs eſt: longè igitur ab eo frigus, quod charitatẽ ſubuertit. Quæ conuentio luci ad tenebras, inquit Apoſtolus, quæ Chriſti ad Belial? quæ templo Dei cum idolis? Lucem illũ eſſe ſpiritualem docuit, cùm amictus eſt lumine ſicut veſtimento, non in ſolis tãtùm ratione, quod vas admirabile excelſi dicitur, ſed & iis apparitionibus, quibus ſe hominibus manifeſtauit. Nubes lucida in templo, lux in columna, lux circum arcam, lux in Syna.

Quanto autẽ ille in ſeipſo purior eſt, qui eſt lux inuiſibilis? Hoc docet nos Propheta. Statuit enim illũ nõ probare, ſed vindicare peccata. Nam & inſolentiã Nabuchodonozor ab eo depreſſam oſtendit. Nunc vnũ Deum Iſraëlis cõmendat, & blandientis & pœnitẽtis

affectu illũ ad miſericordiam flectere nititur, vt qui bonus ſit, & ea malo ſuo populo accidere permittat, non vt perdat, ſed vt illũ corripiat & emendet: & tandẽ virgas igni deuoueat, id eſt, Chaldæorũ Gentẽ humiliet. *Nunquid non tu à principio, Domine Deus meus?* Ita perſonã piorũ induit, apoſtrophe patheticâ, qua nec eos falli docet, qui certã in eũ ſuæ ſalutis & liberationis ſpem demiſerũt. Cùm & ipſe æternus ſit, & per conſequens omnia poſſit, quin etiã ab initio ſibi plebẽ illã vendicet: & idẽ ipſe ſanctitatis omnis fons ſit indeficiens. *Nunquid non tu à principio?* Nã & à te eſt principium omnis creaturæ. Quòd ſi & à principio es, nunquid non & ante omne principium? Quid eſt ergo quòd Chaldæi te contemnãt, à quo pendent omnia: & te, cuius nullũ principium allegatur, aureæ ſtatuę cõparent, quę leui igne diſſoluitur? Cur iis creaturis, quæ initium habent, & quę facilè corrumpuntur, tuã gloriã tribuũt? Cur & ipſi ſuperbi homines, ſe vermes terræ, in tantum efferunt, vt te principiũ ſtatus ſui non aduertant? Ita cõuincit Chaldæos, & eos quicunque nimium ſibi confiderint. Sed & ſpem ſuam confirmat, cùm illum ſuæ cauſæ vindicem ſtatuit, qui eſt à principio. Maledictus enim homo, qui ponit carnẽ brachiũ ſuũ. Siquidẽ in hominibus ſpẽ noſtrã proiiceremus: nunquid oẽs ſicũt vmbra prætereunt? Si homines timuerimus: nũ facilè Deus eo nos timore eripiet, cũ voluerit? Nũ Principes leui momẽto abſumi *Hiere.* 18.

videmus, in quibus tamen multi ſpes ſuas recondebant? Fuerunt illi quaſi myricæ in deſerto, & ſicut quæ ſeminantur in terra ſalſuginis. Quem enim fructum expectationis ſuę acceperunt? Vitæ igitur humanæ breuitas duo nos monet: Ne plus nimio timeamus faciem potentis, aut plus nimio in eum ſperemus: ſed hunc maximè & timeamus, & in noſtræ expectationis aſylũ ſtatuamus, qui æternus eſt. Timorem Eccleſiæ Catholicæ tyranni ingeſſerunt, cùm tot martyres diris tormentis deuouerent: incuſſit Iulianus, & alij quotquot prophanam doctrinam intulerũt, hæretici & ſophiſtæ. Gregorius Nanzianzenus comparat Iulianum Apoſtatam Nabu-
Orat. corã 150. Epiſ. chodonozor. Et ille, inquit, poſt Chriſtum furore percitus, & Chriſtum execratus, ſacros libros cum impiis ſacrificiis cõmutauit. Ita niſi Dominus adiuuiſſet nos, paulominus deglutiſſent nos. Secundus Valens Arianus quid non intentauit crudele & impium? Heu tum in quas calamitates incidimus! Tũc quidem impletum eſt quod in Ioëlis Prophetia
Ioel. 1. legimus: Reſiduum Erucæ comedit Locuſta, & reſiduum Locuſtæ comedit Bruchus, & reſiduum Bruchi comedit rubigo. Quod enim violentas Iuliani manus euaſerat, vix
Pſal. 65. potuit furorem Valentis declinare. Tunc tranſiuimus per ignem & aquam: Veruntamen tandem deduxit nos Deus in refrigeriũ. Ecce illi abſumpti ſunt, & permanſit Eccleſia. Cur? Spes hæreſeos, ceu Gentiliſmi, in

hominibus erat repoſita, noſtra in Deo, *qui eſt à principio*. Cætera ſicut veſtimentum veteraſcent, inquit Pſaltes. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Timor noſter ab hominibus erat, timor deſiit ſtatim atque mortui ſunt. Quid itaque magis timendum eſt, quàm diuinum numen, quod nos & hîc & in futurum perſequi poteſt? Timete eum, inquit Chriſtus, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam ignis. Atque animæ poteſtatem homines non habent, vt eam furore ſuo extinguant: ſed & ad ſpem confirmandam vim habet hæc exaggeratio, ſi ſic interpretemur. *Nunquid non tu à principio Deus meus?* quaſi dicat, Nunquid non tu poſſediſti nos ab initio, & elegiſti in populum tuum? Nam tibi aſciuiſti patres noſtros Abraham, Iſaac & Iacob, & ab initio tibi Eccleſiam & tuorum congregationem ſelegiſti, quâm etiam contra omnes calamitates, ſi non in multis hominibus, ſaltem in paucis confirmaſti. Nam ſi quis ab initio ad noſtra vſque tempora digerat tui furoris immiſſiones, diluuium, ignem, tonitrua, grandines, bella, tyrannos: quis non videat te noſtri ſic curam geſſiſſe, vt continuã tui cultus ſucceſsionem cõſeruares? Ergo tu illum populum, & tuum gregem, quem per tot diſcrimina ſaluum eduxiſti, nunc perire ſines, Barbarorum incurſione & tyrannide, noſtra verò captiuitate? Diluuium immiſiſti, ſed eripuiſti Noé cum ſua familia. Immiſiſti confuſionem his qui turrim Babel ædifica-

bāt,ſed domum Abraham ſeruaſti, & eius ſemē multiplicaſti. Afflixiſti nos ob peccata in Ægypto, ſed eduxiſti in manu forti & brachio extento. Inſilierunt in nos nationes, ſed & victoriam nobis dediſti. Nunc igitur quomodo patereris nos hac in captiuitate penitùs interire?

Sic docet Eccleſiam eſſe ab initio, & continuam illius manere ſucceſſionem, vel inuitis omnibus inimicis: quòd vis eius à Deo pendeat, qui *à principio* Deus noſter eſt. Eo ipſo ſcilicet Dominus æternū ſe eſſe oſtēdit, quòd ea conſeruat, quæ ipſe inſtituit. Hac fiducia Dauid exclamabat, Memor eſto Domine cōgregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio.

Enar. in Pſal. 77. Quod & ex alio Pſalmo Auguſtinus concludit, vbi legitur de terra, Deus fūdauit eam in æternū, *εἰς τὸν αἰῶνα*. Quis, inquit, fidelium dubitet Eccleſiā, etiāſi aliis abeuntibus, alijs venientibus ex hac vita mortaliter tranſit, tamē in æternum eſſe fundatam? Fundauit nos, quia elegit nos ante mundi cōſeruationem, & ſemper cōſeruat. Quin & vim habet, quòd ad vnicum ſummæ illius maieſtatis bonitatem reducit. Nec enim ait, *Deus noſter*, ſanctus noſter: ſed *Elohai Kedoſi*, quod Septuag. vertunt, *κύριος ὁ θεός ἅγιός μου*, Deus meus, ſanctus meus. Quod fit, non vt neget Deum ad omnes extendi, ſed quòd quicunque eum inuocant, & in ipſum ſperant, ita charitate conſtringi debent, vt pro vno tantùm homine habeantur. Vnum corpus enim multi ſu-

mus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Quinetiam vnam Eccleſiam velut vnam ſponſam, vnicum ſponſum, & hunc ſuum ſibique proprium vendicare docet. Deſpondi enim vos, inquit Apoſtolus, vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Atqui Dominus zelotes eſt, nec alium nos agnoſcere vult, quàm illum ipſum. Hinc fit, vt ſuum, ſibi proprium Eccleſia illum vendicet. Nam & Eccleſiæ totius Propheta typum gerit.

Sed & ſignum amoris eſt, & magni affectus, quod dicimus, Meus eſt, & maximè quòd magnum illud nomen quatuor literarum, cum indice illius vulgari *Elohim* coniungit, *Iehoua Elohai Kedoſi,* quòd & hunc ſibi poſſideat. Sanctum autem nuncupat, vt ex eius puriſſima & perfectiſſima voluntate, peccata hominum minimè pendere, quin potius illum aut ea caſtigare, aut correptos & à vitiis repurgatos ad gratiã præparare concludat. Ex quo fit, vt duo requirat. Vnum eſt, vt miſereatur oppreſſorum, & errantes ad meliorem mentem reducat. Alterum eſt, vt ſe vindicẽ oſtendat eorum malorum, quæ iniquo animo Barbari populo ſuo intulerunt.

Et non moriemur, Lo namuth. quod & vertunt Septuagin. καὶ οὐ μὴ ἀποθάνωμεν. ſed textus Hebraicus confidentiã magis exprimit, vt & traductio vulgaris: Græca autẽ verſio deprecationẽ, Nõ moriamur, Ne nos mori & penit⁹ interire permittas. Vtrumque autem dicitur

contra eos, qui cùm plebem Iſraëliticam radicitùs euellere tentarent, dicebant, Quando morietur, & peribit nomen eius? Et ſi quando viderent populum Dei coram hoſtibus ſuccumbere, acclamabant, vt olim Dauid, & tãdem Chriſto: Deus dereliquit eum. Et vbi eſt Deus tuus? Atqui non vt reprobes, ſed vt caſtiges & emendes populum tuum, in eum aliquandiu iniquos præualere ſinis. Conſeruas enim aliquam in electis tuis Eccleſiæ ſucceſſionẽ. Quod & ipſe tu per Hieremiam Prophetam confirmas. Quia hæc dicit Dominus, inquit Propheta: Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum iſtũ. Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus: cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, & patientiam. Et inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos. Quæretis me, & inuenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. Et inueniar à vobis, dicit Dominus, & reducam captiuitatem veſtram, & cõgregabo vos de vniuerſis Gentibus, & de cunctis locis ad quæ expuli vos. Sic, vt ſcribit Baſilius, Præpoſiti omnibus, vt prominentes ſcopuli, indignationem ac furorem hæreticorum nos ſuſcipimus, quæ circum nos diffractæ, ad ea quæ circum nos ſunt, inundant. Et vt Paulus, Aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur:

Hier. 29.

Epiſt. 77. ad Epiſc. maritimos.

linquimur: humiliamur, ſed non confundimur. χαταβαλλόμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἀπολλύμενοι: deiecti, ſed non pereuntes. Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferentes, vt & eius vita manifeſtetur in corporibus noſtris. Ita non ad ruinā, ſed probationem & emendationem Eccleſiæ tribulationes immittuntur. Hoc in Iſraële conſideremus. Quis non omnia deſperata putaſſet temporibus Ezechiæ, cùm tam numeroſo exercitu Hieroſolyma à Sennacherib obſideretur? Atqui miſerè illo profligato & à filijs occiſo, Merodah Baladan occupato regno, per legatos ambiuit eius amicitiā. Ben Merodah Manaſſen captiuum tenuit, ſed liberum emiſit. Nabuchodonozor tyrannus Dei iudicio ſeipſum agnouit, & ideò Hieremiam in pretio habuit, & Danielem & ingenuos pueros. Euilmerodah patris exemplo admonitus, captiuis propitius fuit, & Iechoniam eductum è carcere magni duxit. Ita Deus nouit furorē hominum in blandiciem commutare, & de inimicis amicos reddere. Quomodo igitur non cum fiducia dicat Propheta, *Non moriemur?* Sed rurſus audiamus, cur ſiuerit Dominus Nabuchodonozor Iſraëli præualere. *In iudiciū poſuiſti eum, & fortem vt corriperes, fundaſti eum.* Excitaſti enim Nabuchodonozor, vt iudicij tui miniſter eſſet, quod populo tuo indixeras: ideoque fortem illum reddideras, & magnis illum viribus fundaras, ne fortè tuus populus illi reſiſtere poſſet. Interim verò *Mundi*

Eſa. 42.

ſunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris. Ac ſi dicat, Ergó ne putādū eſt te fauere Chaldæorum impietati illam te approbare, immò & voluntati eorum immittere, quia per eos iudicia tua in populum tuū exerces, & fortes eos reddis, vt nobis præualeant? Atqui tu ſanctus es, & quomodo tibi placerent tot illorū ſcelera, tot homicidia, rapinæ, conflagrationes, inſolentiæ, & ſacrilegia? Abſit, ô bone, vt hoc vllo modo in mentes noſtras cadat. Nam ſi nec *videre* quidem malum, quomodo probare, & quod peius eſt, immittere poſſes?

Perplexa quidem hæc videantur multis, quomodo fiat, vt Dominus ſinat impios iuſtis præualere, illis vt flagellis iracundiæ ſuæ vtatur, robur etiam addat, vt ea peragant, quibus fideles ſui caſtigentur: & tamen omninò negetur cuiquā malorum, ne minimam quidem malitiæ cogitationem immiſiſſe. Hinc factum eſt, vt permulti, cùm hæc minus intelligerent, Deum eſſe peccati cauſam arbitrarentur. Itaque ne quid ſimile legentibus cōtingat, pauca quædam attendenda ſunt.

Greg. Nyſſen. lib. de lib. vrb. Eorum quæ fiunt, quędam præuiam habēt electionem, quædam præter voluntatem cōtingunt. Et rurſus ea quæ ab electione proficiſcuntur, nonnulla ſunt, quæ plures habent cauſas, antequàm in actum producantur. Vt ſi quis alterum occidit, idq́ue priùs deliberauit, non potuit tamen id exequi, niſi ipſe qui occiſus eſt, fuerit in occidētis poteſtate, id eſt

niſi Deus permiſerit. Atqui multa ſunt talia, quę è Dei permiſſione profecta, annexam habent deformitatem ex parte eligentis: & iuſtitiam ex parte permittentis Dei.

Sit nimirùm & iſte caſus, de quo queritur Propheta: quòd Chaldæi Hieroſolymã ſubuerterunt, aut hæretici templa noſtra diruerunt, & captiuum abduxerunt populum Dei. Factum iſtud habet deformitatem ex parte impiorum, æquitatem autem ceu bonitatem ex parte Dei permittentis. Nam ſi quærimus cur id impij aggrediantur, reſpondebimus id proficiſci ex odio in religionem, & malitia, qua vt populum, ita & nomen Dei obſcurare nituntur: etiam & ſuperbia. Nam & hæc in his qui Deum oderunt, aſcendit ſemper.

Rurſus ſi quærimus, qua intentione Deus id permittat, quod tam impio animo prophani iſti moliũtur: facilè reſpõdebimus id iuſtè permitti, ad caſtigationem peccatorũ, & probationem iuſtorũ. Atqui radix peccati in volũtate eſt. Requirẽda eſt igitur alicuius actus in voluntate deformitas. Hinc efficietur, vt nec Deũ accuſes, quòd id permittit, cũ iuſtã habeat rationem. Permittit ad maius impiorum iudicium, & probationem ſuorum.

Auguſtinus in Pſal. 61. id examinans, Semel locutus eſt Deus, dum hæc audiui, quoniã poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique ſecundũ opera ſua: Oſtendit quidẽ nec iniquis vllã eſſe poteſtatẽ ea faciendi, quę impiè volũt, niſi permittat

Deus. Interim verò volũtas illis pro facto reputatur in peccatũ & iudicium. Nam ſi quidem hoc non fecerunt, quod voluerunt, cauſa ab illis requirenda non eſt, ſed à Deo ipſo qui non permiſit. Permittit autem aliquando iuſtè, vt diximus, aut ad maius peccantis iudicium, quia pertinaciter intendit in malum, aut ad ſuorum probationem. Hanc autem quæſtionem diſcutit, num quis hominem innocentem occidens, iuſtè faciat, an iniquè. Obiectabit enim aliquis, Quare ergo hoc permiſit Deus, ſi iniuſtè factum eſt? Tandem reſpondet, periculoſum quidem tam temerariè diſſerere: reſpondet tamen his verbis. Illud dico, quia & iniquè fecit homo, qui occidit innocentem, & non fieret, niſi permiſerit Deus. Et quamuis ille iniquè hoc fecerit, non tamen iniquè permiſit Deus. Nam cũ tu inueneris conſilium Dei, qui permiſit innocentem filium, Chriſtum, occidi ab iniuſtis, & tale conſilium quale tibi placeat, & quale, ſi iuſtus es, tibi diſplicere non poſſit: credas quia & in alijs conſilio id agat Deus, ſed latet te. Quanta bona egit paſſio Domini? Et tamen illa non eſſet, niſi Dominum iniqui occidiſſent. Quid ergo? Bonum hoc quod nobis præſtitum eſt de dominica paſſione, imputãdum eſt iniquis interfectoribus Chriſti? Abſit. Illi voluerunt, Deus permiſit. Illi nocentes eſſent, ſi tantùm voluiſſent: nec habuiſſent aduerſum hũc poteſtatem vllam, niſi datum eis eſſet deſuper. Deus autem non

permiſiſſet, niſi iuſtum eſſet. Illi ergo iniquè voluerunt, Deus iuſtè permiſit.

Hoc ergo agnoſcit vates. *Mundi ſunt oculi tui.* Hoc ratum præmittit, & velut fundamẽtum, ne fortè has, quas mouet quæſtiones, ex corrupta de Deo ſententia deprompſiſſe videatur.

ORATIO.

1. QVid enim te puriꝰ, quid te ſanctius eſt ô Deꝰ, à quo ſi quid ſanctitatis in creaturis eſt, vt lympidiſſimo & pleniſſimo fonte deducitur? Quonam modo probares malum, quod ipſe tanta ſeueritate vindicas?

2. Ideò ſcilicet ab impijs & infidelibus tot mala patimur, quia peccauimus in te. Tu verò non ſecũdum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. Sed quantum diſtat ortus ſolis ab occaſu, tantum à nobis ſecerne peccata noſtra.

3. An ſcilicet mori nos ſines, propter quos Chriſtus vita noſtra mortem ſubijt, vt & mortem noſtram euinceret? Erige igitur nos à tumulo & morte peccatorum, vt viuentes laudemus nomen tuum. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA VIII.

Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem. Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur & exultabit. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.

PEccatum aliquando in pœnam peccati ſtatuitur: maximè ſi annexã habeat aut mentis, aut corporis perturbationẽ. Taliseſt infidelitas, in quam nonnulli labũtur, non niſi diuino iudicio, ex præuijs permultis peccatis. Habet autem & tantam animi perturbationem, vt qui illa laborent, ijs ſimiles ſint, qui currunt, & tamen longè ab itinere recedunt: qui nauigant, & longè à portu. Semper enim quærunt, & nunquam ad apicem veritatis perueniunt.

Tertu. lib. de præſcrip.

Quis enim dubitat permitti iuſtè à Deo vexari Saulem, & decipi Achab? Legimus enim quòd ſpiritus malus tanta vi illum impellebat, vt horrendum præberet ſuis ſpectaculũ. Succeſſit autem hoc tormentum, ob inobe-

dientiam. Porrò quia Achab Pſeudoprophetis aures præbuit, ſpiritus quidã malus inſiliẽdi in eum & decipiẽdi poteſtatẽ accepit. Hęc non niſi Dei permiſſu. Permiſit autẽ iuſtè, ob peccata. Hinc ſcilicet mors miſerrima & Saulem inter Philiſtæos, & Achabum inter Syrios ſubſecuta eſt. Quàm enim eorum peccata pernicioſa ſunt, qui imperant: cùm nõ tantùm ſibi, ſed & ſuis noceant, & ſcandalũ præbeant? Cur cathedræ præſunt, niſi vt populũ ſibi ſubiectum ad ſummi illius numinis, ad ęqui boniq́ue rationem dirigant? Iudicium duriſſimum fiet his qui præſunt, inquit Salomõ. *Sap. 6.* Ex quo efficitur, vt cùm Deus hîc eorum ſcelera vindicat, populus etiã patiatur. Nõ min⁹ quã ſi quis in lĩgua aut manu offẽderit, in alia parte corporis vapulat, inquit Iuſtin⁹ martyr. *Iuſt q. ad Orthodox.*

Hoc etiam nunc oſtendit Vates. Conqueritur enim de iniuſtitia & contradictione, quæ ſuo tempore erat potentior, vt ex qua velut cauſa Deus ſuſcitatur⁹ ſit Chaldæos. Verũ nũ illi ſolùm in captiuitatẽ deduxerunt iniquos, & non etiam pios & afflictos? Nunquid cum illis & Hieremias, & Baruch, & Daniel? Num & permulti ex pop. qui quidem priùs à potẽtioribus iniuriam acceperant? Verùm hæc illis tribulatio fuit ad gloriam & probationẽ: alijs qui Dominũ ſuâ iniuſtitiâ prouocarãt, fuit ad emendationem, aut reprobationem.

Interim verò, quia magna, vt dixit, diſſipãdæ Reipubl. occaſio ab iniuſtitijs ꝓficiſcitur, idipſũ adhuc amplificat ſimilitudine: ex qua

inferre videtur, idem iudiciũ manere Chaldęos tandẽ,quod manet Iſraëlitas:cũ hi & illi idem diuini furoris argumentum præbeãt. Ait enim,*Quare reſpicis ſuper iniqua agentes*, *&* *taces*,&c. Antitheſis eſt,*Reſpicis*,& *taces*.Omnia nuda & aperta ſunt oculis tuis, & tamen licet iniquitas te non lateat, tacere videris, cùm non ſtatim vindicas ea ſcelera, quæ in te, & proximum ſuum multi perpetrant. Magna profectò hæc tentatio Hieremiam etiam cõcutere viſa eſt, vt obſeruat Hieronymus. Iuſtus,inquit,es Domine,confiteor,veruntamẽ iudicia loquar ad te: Quid eſt quòd via impiorum proſperatur:abundãt omnes qui pręuaricantur,& delinquunt? Plantaſti eos, & radicati ſunt,genuerunt filios, & fecerũt fructum.Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Ergo & Habacuk in eadem ſententia,Scio, inquit, Domine, quoniam malum iniuſtumque non libenter aſpicias, nec poteſt quiſquam de tua dubitare iuſtitia: attamen non omnes intelligunt hæc iuſta iudicia tua.Inſtrue igitur me,vt eos doceam, immò& eorum corda excita,vt iſtud intelligãt, ne fortè quidam victi impatientia blaſphement nomen tuum. Hîc depingitur humanũ ingenium, promptius quidem ad vindictam, quàm ad gratiam impendendam:cùm è contra Deus multò promptior ſit ad indulgentiam. Nos ſtatim vellemus impios & iniquos abſcindi:ſed Deus quantò potentior eſt,tantò etiam patienter agit pro nobis,nolens ali-

Lib.1. Cõment. in Habac.
Hier.12.

quem perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire. Miſericordia hominis in proximum ſuum, Dei autem in omnem carnem. *Reſpicis*, & tamen mundi ſunt oculi tui, & ad iniquitatem reſpicere non poteris. Num hîc ſibi contradicit Propheta? Sed Reſpicere nõnunquam fauere, & ſibi in aliquo complacere ſignificat. Vbi enim amor, ibi oculus. Sic vtique Deus ad iniquitatem nõ reſpiciet. Ita non ad Cayni, ſed ad Abelis munera reſpexiſſe legitur. Aſpicere verò dicit aliquando cognitionem, quæ ſanè tanta eſt in Deo, vt nihil quantumuis abſconditum & ſecretum ipſum latere poſſit. Ita quidem oculi Domini contemplantur bonos & malos. Et, vt cecinit Dauid, ipſe nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Hac rerum omniũ peritia, hoc oculo *reſpicit ſuper iniqua agentes*, etſi eorum iniquitates deteſtetur. Mouet tamen Prophetam quòd *taceat*. quaſi dicat: Effici poteſt vt Princeps multa ſinat inulta, quæ vindicare nititur: ſed ignorat ſcelerum conſcios, & ſontes. Tu autem noſti omnia, ô Deus. *Quare ergo tacebis deuorante impio iuſtiorem ſe?* Poteſt & id ſic interpretari, vt affirmatio ſit conſecuturæ à Deo vindictæ: ſiquidem per futurũ interpretemur, *Videbis & tacebis*. Hoc enim ſonant Hebraicę dictiones *thauit* & *thaharis*. & iſta traductio Septuaginta interpretum, παρασιωπήσῃ ἐν τῷ καταπίνειν ἀσεβῆ τὸν δίκαιον; Ergó ne putandum eſt ſcilicet, quòd tu tot ſcelera ex alto conſpicias, & ta-

citurus ſis? Cũ enim mũdi ſint oculi tui, quis te fautorem, & non vindicem tot ſcelerum ſentire audeat? Nũ exurges aliquando, & qui ad tẽpus diſſimulaſti peccata hominũ ob pœnitentiam, in ira tua os aperies, & ſententiam condemnationis depromes? Sic per Pſaltem inquis. Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis, ſed ſtatuam contra te peccatum tuum.

Exaggerat autem iniquitatẽ hominũ: quia *deuorat impius iuſtiorem ſe. Beballa Raſa tſadik*. In deuorando, ceu quãdo deuorat impius iuſtũ. Metaphora ſumitur à feris, quæ cũ ſint prædæ audiſſimæ, integra animantia magno oris hiatu, velut fruſtulum aliquod abſumũt. His ergo comparat potẽtiores ſui temporis, quorum auiditas & rapina tanta erat, vt inferiorum, maximè pauperum & ſimplicium, nullus eorũ cupiditatem euaderet. Aut ſanè per impiũ, intelligit Nabuchodonozor, aut Chaldæos, qui in Iſraëlitas iuſtiores ſe ſæuiebant. Sed & quos dixit *Boguedim*, præuaricatores in plurali, nunc velut vnius impij nomine, *Raſa* nuncupat. Quo etiam nomine malignorum ſpirituum princeps deſignatur, vt & eius malitiæ imitatores illos eſſe doceat. *Deuorat*, inquit, *iuſtiorẽ ſe*. Et hoc ſanè quotidie fieri videmus. Nam quia iuſti ſimpliciter & confidenter ambulant, patientes ſunt, nec malum pro malo reddunt, nec dolos meditantur: ex eo efficitur, vt ab impiis derideantur, contemnantur, & circumueniãtur. Iuſtior erat Abel, & patitur ab impio fratre: ſic Iacob ab Eſau,

Ioſeph à fratribus. Quàm verò pernicioſus eſt Reipubl. ſtatus, vbi paſſim potentior præualet in iuſtiorem ſe, contra ius omne, & ipſum deuorare contendit: vbi iam nõ lex, ſed furor arma miniſtrat, & impij dicunt: Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ? Sed & adiicit Propheta: *Quare facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem:* id eſt, ſines eos adinſtar piſcium inferiores deglutire? *Facere* enim non ſic interpretandum eſt, quaſi Deus illorũ voluntatẽ formet, vt inferioribus ſuis inſidientur. Quorſum enim dixiſſet, Deũ reſpicere ad iniquitatẽ non poſſe? Neque enim Deus volens iniquitatem eſt, inquit Pſaltes. Verũ Facere ibi ſumitur, per occaſionem. Nã quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominũ perpetrãt mala. Atqui quanta Dei patientia eſt? An citò vendicat? An perdit? Hinc ſanè impij quãdã ſibi impietatis occaſionem venãtur: & dicunt, Si eſt Deus in cœlo qui noſtra conſideret. An verò, inquit, oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Ergo quia diligit, quia parcit, quia monet, quia expectat ad pœnitẽtiã: operatur illã in impiis cordis duritiam, vt abſque vllo timore faciãt mala. Pẽdet hoc è cordis conditione, quòd bonũ malè ſuſcipit, & ex eo ſuam ruinã venatur. Cõſidera nimirùm quã puri, quamque clari ſint ſolis radij. Illi tamen aliter ſe habẽt, ſi in cœnũ, aliter ſi in ceram ſeſe effuderint. Cœnum exſiccant, ceram emolliunt. Pendet autẽ hoc ex diſpo-

Seuerianus Gabal. Epiſcopus.

ſitione materiæ. Et quidem maximè è cordis ratione pendet, vt ille bene Chriſti gratiam interpretetur, ille verò hac abutatur. Sicut & quod idem granum aut inter ſpinas ſuffocatur, aut exſiccatur ſupra petram, aut conteritur in via, aut fructum facit centuplum in terra bona. Non quòd non idem ſit granum, ſed non eadem eſt conditio petræ, terræ bonæ, & ſpinarum. Eadem itaque Dei bonitas & hos & illos ad pœnitentiam expectat: ſed tamen fit, vt hi, quia meliores, tempus pœnitentiæ non contemnant, quin potius ad Deũ clament, & ipſum inuocent. Alij verò, quia deteriores ſunt, ex ipſa Dei patientia argumẽtum maioris licentiæ aucupantur. Hoc ergo vocat *facere*, non propriè, ſed quaſi per occaſionem: ſicut & cùm Chriſtum legimus poſitum in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Cur *facies*, id eſt, patienter feres, nec tam citò punies, *homines, qui ſunt quaſi piſces maris?* Hac ſimilitudine Principum & magiſtratuũ iniuſtitias amplificat. Sunt enim piſces omnium iniuſtiſſimi, cùm grandiores ſæuire ſoleant, & deuorare, non modò alterius, ſed & ſuæ ſpeciei piſciculos. Nec eſt tanta inter lupos, aut leones, aut alia quæuis animantia feritas, quanta inter piſces, & nonnulla quæ reptilium nomen ſortiuntur: qualia ſunt Amphibia, nimirùm quæ & in aquis & terra verſantur, vt Hyppotami, Angues, & marini Lacerti: quibus intelligitur, quod adijcit: *Et quaſi re-*

ptilia non habentia ducem. Nam cætera animantia ſuam ſpeciem conſeruant,gregatim vagātur:permulta etiam ducem aliquem ſequuntur. Quod etiam præter grandiora, in minimis omnium natura decreuit, in volucribus, & iis etiam apibus quæ ex corruptione proficiſcūtur. Quo quidē obiter notat, nihil peius hominibus accidere,quàm ſi quiſque pro ſuo viuat arbitrio, ſibi æqualitatem promittat, nullum maiorem agnoſcat. Nam & inter eos nec lex, nec præſcriptum aliquod, ſed violētia præualebit. Quę ſunt enim ducum,Principum,aut Regis vices, niſi vt minores à maioribus,debiliores à potentioribus, pauperes à diuitibus, ſubditos à præfectorum tyrannide vindicent? Niſi pupillorum,viduarum,oppreſſorum, & paruulorum cauſas audiant? Nulla enim re magis homines ad Deos accedunt,quàm ſalutem hominibus dando. Hoc eſt apertum iuſtitiæ ſignaculum, inquit Clemens Alexandrinus,& lux vnita per charitatem, quæ Deo afflatur. Quid verò ignobilius eſt, quàm homines in ſe armari, inſidiari,& ſibi ipſis eſſe laqueo? Nihil, ait Gregorius Nanzanzenus, tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam. Licet tibi nullo labore diuinitatem aſſequi. Alij opes ſuas effundunt, alij exhauſtam carnem ſpiritui mancipant,& ſe à mundi conſortio abrūpunt, alij chariſſima pignora Deo conſecrāt. Nec enim tibi Abrahæ ſacrificium inauditū eſt. Horum nihil à te poſtulamus, ſed clemē-

Lib.6.Str.

Orat.ad ciues Nanzanz. timore percul ſos,& Imperatorē iraſcentem.

tiam tantùm in tuos. Hæc naturæ lex prima
Lib. 2. hiſt. Eccle. c. 19 eſt. Ita, teſte Ruffino, Theodoſius regiũ animũ declarauit in Oriente, acceſſu facilis, abſque faſtu imperiali, vltione contẽpta, cũ tantùm Catholicis de reſtitutione Eccleſiarum conſuluit, quò fides recta abſque prædicationis impedimento proficeret. At verò miſerũ ſtatum ſuæ Reipubl. depingit Vates, quo duces & Principes non pro ducibus ſe gererent, ſed adinſtar grandiorum piſciũ ſubditos ſibi deuorarent, quos conſeruare debebãt. Quis enim negauerit, ſub Manaſſe & Sedechia, ſuos fuiſſe duces & Principes populo Dei? Quomodo ergo factos eſſe cenſet velut reptilia non habentia ducẽ, niſi quòd illi longè aliena à ducũ munere perpetrarent? Principes tui infideles, ſocij furum, inquit Eſaias. Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Nomine ducũ & Principũ, non modò ſummos illos intelligẽs, ſed quotquot in populũ habent poteſtatẽ. Quã verò indignũ eſt inferiores ſic à potẽtioribus deuorari? Et hoc ſanè eleganter Iuſtinus, Iuſtiniani ex ſorore
Cedrenus & Zonaras. nepos, auditis afflicti populi querelis, apud ſenatores & nobiles imperij ſui perorauit, ne pauperes ſpoliarent, aut quauis iniuria afficerent. Solis namque piſcibus moris eſt, inquit, vt maior deuoret minorẽ. Et hoc quã acerrimã Dei vindictam promoueat, ſatis ex Habacuk querimonia intelligimus: quin & ex
Mich. 3. Michæa, qui cõtra tantã tyrãnidẽ exclamat. Audite Principes Iacob, & duces domus Iſ-

raël. Nunquid non veſtrũ eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonũ,&diligitis malum,qui violenter tollitis pelles eorũ deſuper eis, & carnẽ eorũ deſuper oſſibus eorũ? Confregerunt,inquit, oſſa, & conciderunt ſicut in lebete,& quaſi carnẽ in medio ollæ. Tunc, in captiuitate,clamabunt ad Dominũ, &nõ exaudiet eos,& abſcondet faciẽ ſuã ab eis in tẽpore illo,ſicut nequiter egerũt in adinuẽtionibus ſuis. Explicat ergo magnã hanc etiam Principũ captiuitatẽ, inſtitutã allegoriã proſequens.Nã quia Principes ſeſe habuerunt vt piſces maris, ideò De⁹ excitauit Nabuchodo nozor, qui velut aliquis piſcator induſtrius, *Totum in hamo ſuo ſubleuauit*: cùm aut blandiciis,aut armorum virib⁹ piſces illos ſibi aſciuit. Hamus enim ferrum habet, quo ſtatim piſces vel inuiti trahuntur. *In ſagenã ſuam*, in latè patentem ſuum exercitũ, *traxit* illud hominum genus. Adeò vt qui hamum paucorũ euaſiſſent, exercitum longè latéque diſperſum effugere non poſſent. Cæterùm piſcatores quandoque in bonam partem ſumuntur, vt & ſagena. Tales erant Apoſtoli: ſed & ſimile factum eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Vtrumque videt Ezechiel, aquam egredientem à latere dextro tẽpli, ar- *Ezech* 47.
bores hinc & inde conſitas, piſcatores & ſagenas extenſas, magnam etiam piſcium copiã. Ex oppoſito verò Sathã piſcator,& tẽtatio eius,ham⁹ eſſe dicitur: ipſe etiã per Nabu-

chodonozor figuratur, vt obſeruat Hieronymus. Quin & retis & ſagenæ nomine omnes doli eius & fraudes intelliguntur, quibus nos allicit & captat. Sed & Antonius orbem retibus plenum eſſe vidit, quod nos non tantùm ad Sathanicas impoſturas, ſed & ad hominum vafriciem transferre poſſumus. Omnes rete & ſagenam emittunt, vt non modò ſua conſeruent, ſed & aliena cõquirant. Hinc fit, vt permittat Deus eos ab alijs ſpoliari. Rete extenderant Principes Iſraël, & reti & ſagena comprehenſi ſunt. Aliena concupiuerant & rapuerant: Nabuchodonozor verò ipſorum etiam propria rapuit.

Effrem in vita S. Antonij.

Super hoc lætabitur & exultabit. Principes, & potentiores in Hebraico populo, lætabantur in ſpoletione pauperum, & rapinis: exultabãt ſuper querimonijs & lamentis afflictorum: ſed tandem Nabuchodonozor exultabit ſuper eos, nec mouebitur clamoribus captiuorum. Ita nimirùm contingit, vt teſte Salomone, qui obturat aurem ſuam ne audiat clamorem pauperis, clamaturus ſit, & nullus ſit qui exaudiat. Summa quidem auaris eſt lętitia in lucro illo abominabili, quod vſuris, dolo, & ſpoliatione pauperum ſibi vendicãt: ſed qua menſura mẽſi fuerint, remetietur & illis. *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* Ita enim fiet, vt omnibus pro voto ſuccedentibus, Nabuchodonozor ſuam induſtriam, potentiam, armorum vim & diuitias, non iam caducas eſſe arbitraretur, ſed ſe velut Deum habiturus,

habiturus, ſua etiam hæc qualiacunque velut diuina ſancciturus ſit. Nam mortalem ſe ille non agnouit, ſed ſuperbus ſuam ſtatuam auream adorari voluit, partis tot victoriis factus inſolentior. Atqui Scriptura Deum vocat, id cui totus homo incumbit. Hinc & olim vitioſi affectus, in deorum numerum ſancciti ſunt. Luxuria in Venere, vis in Marte, rapina in Mercurio, vt oſtẽdit Theodoretus. Itaque Nabuchodonozor non iam meditabitur diuina permiſſione tãta ſe contra electum populum potuiſſe: ſed tumens ſe Deum nuncupabit, & immolari faciet potentiæ ſuæ. *Quia incraſſata eſt pars eius*, incraſſatus etiam ille dilatatus eſt, & recalcitrauit, nec agnouit Deum factorem ſuum. Et id ſæpius euenit his, qui ſecundis rebus inſolentiores euaſerunt. Tumidi enim illi diuinos honores aſpirant, vt ab omnibus timeantur, adorẽtur, & pro ſummis numinibus habeãtur. Nihil ſummũ reiiciunt: etſi non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo gloria rependenda ſit. Quis ferat hanc in aulicis, & ſuperbis quibuſque inſolẽtiam? *Propter hoc*, Nabuchodonozor *euacuabit ſagenã ſuam, & interficere gentes non ceſſat.* id eſt, vbi captiuum populum Hebræum ſibi vendicauerit, velut quædã mancipia: arma ſua ad alias nationes transferet, dominãdi cupiditate victus. Ita ſcilicet auari curuas manus & onuſta rapinis brachia apud ſe exonerant, vt rurſus ad alia graſſentur, vt ſunt inexplebiles. Ita crudelior factus feretur in ſanguinẽ,

Lib affect. Græca.

vt nemini quantumuis afflicto parcat. Quod enim legimus, *nō ceſſat*, textus Hebraic⁹ habet *lo iahemol*, & Septuag. οὐ φείσεται, non parcet. *Hamal* enim parcere ſignificat. Ita nullo humanitatis ſenſu furorem ſuum temperāt, qui ſemel proſperis rebus elati, ad vindictam & cruoris effuſionem animum adiunxerunt. Melius eſt occurrere vrſæ, vt monet Sapiens, quàm ita affectis hominibus.

ORATIO.

HOrum ingenia & mores deteſtaris ô Deus, cùm tu nobis charitatem, & miſericordiam aſpires: & clames, Mihi vindictam, & ego retribuam. Secreta tamen ſunt iudicia tua, quòd illos ad tempus præualere ſinas. Et quidem apparebit quantum furioſos illos hominū conatus & rapinas deteſteris, cùm reddideris vnicuique ſecundum opera eius.
1 Interim quis ſtabit contra iudicium tuum? Quis, ſi temporum ſuorum miſeriam deploret, non etiam ſe, & deprauata quæque deflere debeat, & exclamare, Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatē vidit vultus eius?
2 Atque vtinam alienis exemplis ſapientiores reddamur! Quid Hebræum illum populum captiuū fecit, niſi priora peccata? Quid ſtatum illorum Reipublicæ euertit, niſi iniuſtitia, rapina, & violentia?
3 Fac igitur Domine Deus, vt qui nobis præſunt, clementia ducantur in ſubditos. Ne ſint

velut piſces, aut reptilia, quæ in minora graſſantur, & ea deuorant. Sed & populum obedientem, & Principes & præſules ita in ſubditos ſibi benè affectos redde, vt vnum corpus ſimus, vnus grex, ſub vno Rege, & omnium primo capite Chriſto Ieſu. Amen.

HOMELIA IX.

Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem meam, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.

CAPVT II.

INeptus is vtique videretur, qui ſi in portu ſteterit, & certò venientem tempeſtatem præuideat, ſoluat, & ſe maris fluctibus committat. Sunt enim multa, quæ hãc pręmoneãt. Vnde fit, vt colligat Virgilius, prudenti nautę vix illã obfuturam.

-Nunquam imprudentibus imber *Virg. lib. 1 Georg.*
Obfuit; aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues; aut buccula cœlum
Suſpiciens, patulis captauit naribus auras;
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo;
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Hinc admonitus vela contrahit, & in portu ſe continet. Nos autẽ qui tot tentationibus &

afflictionibus quandoque ventilamur, num ſi quam tempeſtatem præuiderimus, in ſecuro præſidio cõtineri debemus? Securi autem erimus,ſi in Dei protectione maneamus. Nõ accedet ad te malum,inquit Pſaltes,& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

In portu videntur eſſe, qui nondum ſubeũt ventorum furorẽ. Nihil tutius, quã ſi anchorã figamus. Præuidet nauta ventos& pluuias. Quis adeò tenuis ſenſus eſt,qui non in honore poſitus, ignominiæ meminerit: in diuitiis paupertatem,in ſanitate infirmitatem,in vita mortem, in deliciis afflictionem, in peccatis iudicium Dei ob oculos habeat? Memento iudicij mei,inquit nuper defunctus, ſic enim erit & tũũ:mihi hodie,& tibi cras. Hoc nimirùm ſapientiores reddit,& ad pericula pręuiſa cautiores. Hinc & homini triumphanti olim à Romano præcone dictum eſt:Reſpice poſt te. Hoc cùm obuenerit, id eſt, cùm iſthæc attentiori mente pertractauerimus, tum occurret,vt iuxta dictum Apoſtoli, non ſperemus in incerto diuitiarum,aut honorũ, aut fauorum,aut huius vitæ, ſed in ſolo Deo. Hic nobis erit portus. Iacta in Domino curam tuam, & ipſe te enutriet, inquit Dauid: & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum quaſi meridiem. Hoc in paupere, ſecus in diuite. Hic enim non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum. Habacuk quidem lõgè ſapientiùs & prudentiùs facit. Præuidebat

Tertul in Apolog.

proximè venturas ſuo populo calamitates, non præſumit nimis de Dei bonitate, non deſperat de iuſtitia, non protinus cõcludit omninò derelictum eſſe Iſraëlem, quia Deus ſic illum permittit per Chaldæos opprimi: ſed ſe continet in cuſtodia & munitione, id eſt, ſeſe ad Deum totum refert, ibi commoratur, vt videat num alicundè venturum ſit auxilium, num miſerturus ſit plebis ſuę. Intra illã cuſtodiam & munitionem quaſi in portu, expectat num quietius tempus ſit appariturũ, num Deum mitiorem habiturus ſit. Sic anchoram fidei figit, vt & Paulus, cùm ait, Nũquid Deus dereliquit plebẽ ſuã? abſit. Quid enim dicit Scriptura, reſpondiſſe illum Helyę conquerenti de altarium demolitione, & Prophetarũ cæde? Reliqui, inquit, mihi ſeptẽ millia, qui non flectãt genua ante Baal.

Itaque tot calamitates & clades præuidens, nondum deſperat, ſed ait: *Super cuſtodiam meã ſtabo.* Metaphora eſt, ab his ſumpta, qui ne ab imminentibus hoſtibus circumueniantur, aliquem in ſpecula conſtituunt, qui vndequaque aduenientium numerum, arma, progreſſus, cæteraque deſpiciat, & ea demũ præſidiariis ſigno aliquo indicet. Hoc enim erat & Prophetarum, immò & eorũ omnium eſt officiũ, quibus in Chriſti Eccleſia verbi miniſterium commiſſum eſt: vt ex eo demum colligant, quid timendum, & quid ſperandũ ſit. Hinc & Eſaias: Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Syõ, noli timere. *Eſai.* 40.

Ezech. 31. Et alibi: Ecce ſpeculatorem dedi te domui Iſraël. Quin & ἐπίσκοπος dicitur, quaſi ſuperintēdēs, cuius ſit gregi Chriſti ex alto authoritatis culmine proſpicere, inquit Hiero-
Ad Euagr. nymus. Sed & Eſaias hęc ſcribit 21. capit. Hęc enim dixit mihi Domin⁹, Vade, & pone ſpeculatorē: & quodcūque viderit, annūciet. Et clamauit vt leo. Super ſpeculā Domini ego ſum, ſtans iugiter per diē: & ſuper cuſtodiam meā ego ſum, ſtans totis noctibus. Vnde fit, vt & illi præmonere populum debeant, ſi quod imminet flagellum Dei, ſi iudiciū, & arguere peccata, vt ad cor redeāt, & miſereatur De⁹. Hoc apertè admodum Ezechiel. Nam cùm
Heb. 5. omnis Pōtifex ex hominibus aſſūptus, in his cōſtituatur quæ ſunt ad Deum, adinſtar ſpeculatoris, eius munus deſcribit: & probat, nobis mala & tot clades obuenire, aut quia
Ezech. 33. nullus eſt ſpeculator, qui populum moneat: aut ſi quis eſt, vel ſuū munus nō exequitur, vel non ei creditur. Si enim nullus eſt ſpeculator, in quē retorquere poteſt popul⁹, quòd de hoſtibus imminentibus monitus minimè fuerit? At verò ſi quis conſtitutus eſt, aut ille proditor eſt ſuorū, nec eos monet de his quæ videat: aut cæcus eſt, & indignus hoc munere, qui precauere nihil poſſit: aut ſi nec ei deſit oculorū acies, nec fidelitas, in ſuos deerit forſan populi credulitas, qui moniti minimè caueāt. Sic enim habet Ezechiel. Et factū eſt verbū Domini ad me dicēs: Fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos.

Terra, cũ induxero ſuper eã gladiũ, & tulerit populus terræ virũ vnũ de nouiſſimis ſuis, & cõſtituerit eũ ſuper ſe ſpeculatorẽ: Et ille viderit gladiũ venientẽ ſuper terrã, & cecinerit buccina, & annũciauerit populo: Audiens autẽ, quiſquis ille eſt, ſonitũ buccinę, & non obſeruauerit, veneritq́ue gladius, & tulerit eũ, ſanguis ipſius ſuper caput eius erit. Sonũ buccinę audiuit, & nõ ſe obſeruauit: ſanguis eius in ipſo erit. Si autem ſe cuſtodierit, animam ſuã ſaluabit. Quòd ſi ſpeculator viderit gladiũ venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe nõ cuſtodierit, veneritq; gladius, & tulerit de his animã: ille quidẽ in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinẽ autẽ eius de manu ſpeculatoris requirã. Hanc autẽ propoſitam ſimilitudinẽ, Prophetis & omnibus applicat, quibus diuini verbi miniſteriũ cõmiſſum eſt. Adiicit enim: Et tu fili hominis, ſpeculatorẽ dedi te domui Iſraël. Audiẽs ergo ex ore meo ſermonẽ, annunciabis eis ex me. Si me dicẽte ad impiũ· Impie, morte morieris, nõ fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autẽ eius de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, vt à viis ſuis cõuertatur, non fuerit conuerſus, ipſe in iniquitate ſua morietur: porrò tu animam tuam liberaſti.

1 Ex his facilè colligimus, quãnã ſpeculã, cuſtodiã, & munitionẽ intelligat Habacuk: Illã nimirũ authoritatẽ Verbi, quę ſibi à Domino cõmittebatur. Sed & facilè colligimus, nõ

mirandum,ſi nos tot mala maneant. Nã multis in locis ſpeculator nullus eſt, diſperſæ ſũt oues, eò quòd nullus eſt paſtor. Quod ex prouiſione Principum,& importunis aulicorum poſtulationibus pendet, qui reditus ſibi aſciſcunt,& tamen miniſteriũ lõgè âblegãt.

2 Sed etſi in quibuſdam locis videantur eſſe quidam paſtores & Epiſcopi,eò tamen maximè aberrat populus,quia hi aut nõ reſident, vt moneant:aut ſi reſederint,ſpeculatoris tamen munus obire non poſſunt. Quam enim clamoris vocẽ redditurus eſt tibi præco mu-

Greg. tus?Speculatores eius cæci omnes, neſcierũt vniuerſi canes muti, non valẽtes latrare. Vi-

Eſai.59. dentes vana,dormientes,& amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatẽ. Ipſi paſtores ignorauerũt intelligẽtiã, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam.

3 Sed etſi ponamus eorũ aliquos reſidere, & peruigilibus oculis populi clades imminẽtes præmonere:hinc tamen malũ emergit,quòd pauci his credunt,aut ſi credũt,pœnitentiam tamen non agunt, ſed quaſi iumenta computreſcunt in ſtercore ſuo. Quid ego mirum, ſi nos minax Dei perſequatur gladius? Et quidem non modò ab ipſis inertibus paſtoribus, ſed & à Principibus & iis omnibus qui non prouident, vt vigiles in populo ſpeculatores conſtituantur: etiam & ab incredulo & obſtinato populo hæc mala obueniunt, ſuper quos etiam ſanguis requirendus eſt.

Interim verò nec deſiſtere debent,qui hoc munere funguntur. Argue, obſecra,increpa, inquit Paul9,idq́ue opportunè & importunè. Sic enim Propheta: Clamat, orat, minatur, terret: & nunc adhuc ſibi proſpicit, ſi quam Domin9 populo ſuo conſolationem prænunciauerit. Ait ergo. *Super cuſtodiam meam ſtabo.* Chald.habet vigiliã quæ coincidunt, ad exprimendum Prophetiæ munus. Quaſi dicat, Etſi ſint qui non credant verbis meis,putētq́ue Deum nunquam tanta mala permiſſurũ in ſuam plebem incidere:ſint etiam, qui hoc credentes, arbitrentur omninò derelictum populum,non prouidè tamen ab officio deſiſtam,ſed exquiram etiam à Domino,quid his annunciandum ſit:quæ rationes aſſignandæ ſunt,propter quas tot mala illis comminetur, aut quid in eo ſperandum ſit, vt & pijs & impijs reſpondere poſſim. *Stabo*, vigil nimirùm. ſolent enim,qui dormiunt,aut iacere, aut ſedere. Quando enim magis vigilandum eſt paſtoribus,quàm cùm lupus in procinctu gregis eſt: aut patrifamilias,quàm ſi audierit nõ longè furem adeſſe,ne fortè ille perfodiat domũ ſuam? Hoc nimirùm Chriſtus ſuis commendabat,dicens, Vigilate & orate,vt non intretis in tentationem. Quid magis in Moſe, & Aaron commendatur? Hic quidem,quàm vigili mente & corpore ſtabat orans in monte, Hur & Aaron ſuſtentantibus manus eius, cũ Amalechitæ contra Iſraëlem pugnarent? Aaron verò, quanta ſollicitudine inter viuos &

Plut in Apoph. mortuos proceſſit, & obtulit? Quin & Epaminondas, ſibi licere ſobrium eſſe dicebat & vigilem, cæteris ebrijs & dormientibus. Hæc ducis & paſtoris eſt virtus.

Figam gradum ſuper munitionem meam. Quod *Semar* cuſtodiam, hoc nunc dicit *Mathor* munitionem: & quod ſtare, hoc figere gradum nuncupat, ad maiorem emphaſim. Hoc enim ſonāt dictiones, *Amad* ſtare, & *Nitſau* à *Iatſau*, ſtare, ceu gradum figere. Nam qui gradum figunt, maiore quadam intentione, & conatu, aut vigilijs inſiſtunt, aut contra aduerſarios ſe præparant. Hęc nimirùm ſpiritualium ſpeculatorum virtus eſt, vt animos colligant: & firmi apud ſe ſtatuant, omnibus aduerſarijs repugnare. Caueant, ne leo rugiens diabolus eos circumueniat, ne ſollicitudo temporaliū, *Hier in Nahum* aut lucra, aut timor quiuis humanus eos ſegniores & ſomnolentos reddant. Quòd ſi qui minus fortes ſibi videantur, quia ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, recurrant ad *munitionem*. Habent ſpeculatores munitiſſimas turres, è quibus proſpiciant. Habēt & illi munitiſſima præſidia ſuæ dignitatis, cū hanc Deus ſua protectione muniat. Nam qui vos ſpernit, me ſpernit, inquit. Et Paulus: Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum. *Specula* eſt, quia eminens, & ad hoc inſtituta, vt quaſi è ſpecula, munus paſtoris pendeat: munitio eſt, quia Dei eſt poteſtas, Rom. 13. Qui repellit & vindicat omnes qui ſe contrà erigunt. Sic Chore, Dathan & Aby-

ron,quia erexerunt ſe contra Moſen & Aaron:ſic Ananiam,qui Petro mẽtitus eſt. Quã tuta & ſecura eſt hæc authoritas,pro qua De' pugnat,loquitur, & omnia ea exequitur,quibus hoſtes facilè proſterni poſſint? Nolite cogitare,inquit,quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et rurſus: Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri.

Ita docet Propheta, nihil timendum eſſe ei qui vices ſuas in Eccleſia Dei obire voluerit. Forſan enim obiectabit. Infirmus ſum, & quomodo tot tentationes vincam? Timidus; & quomodo hoſtibus occurram? Ineloquens; & quomodo apud Reges & Principes legatione fungar? Fragilis; & quomodo tot tormenta perferam, quæ mihi forſan parabantur? Reſpondet, nihil his obiectionibus immorãdum eſſe, cùm ſis in ea ſede collocatus, quę munita ſit. Voluntatem à te Deus requirit, hãc ei porrige, & cor & obedientiã effunde, cætera ille præſtabit. Ineloquẽtem ſe dixit Moſes, Deus autem quid ad eum? Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? Nónne ego? Num purgauit Eſaiæ labia, num & Hieremiam inſtruxit? Infirmi primùm erant Apoſtoli: ſed quid cùm induti ſunt virtute ex alto? Virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. Ita nihil eſt, quod aut Eccleſiæ prælati, quod etiam Chriſtiani Principes conquerantur, niſi ſuam ipſorum ſo- *Exod. 4.*

cordiam. Num ſcilicet Deus vallauit eos, vt olim Sathan agnouit in Iob? Num angelicam eis ſæpem circumpoſuit? Habent illi præſidia & munitiones adeò firmas, vt tuti eſſe facilè poſſint, ſi modò ab ipſis munitionibus non recederent: aut ſaltem ſi & ſtarent & *pedem figerent*, iactantes in Domino omnem ſuam cõfidentiam. Vnde ſcilicet magis Dominus Reges & Principes Iſraëlis arguit, cùm ab inimicis obſiderentur, quã quòd fides hæc & ſecura in Dominum ſpes illis deeſſet? Quodq́ue non vigiles & ſtantes, ſed ſegnes & ſupini ſeſe munitionibus ſuis cõtinerent? Quid ad Acham, quid ad Ezechiam aliud monuit Eſaias, niſi vt *pedem figeret* & ſtaret? Vide reliqua quæ ad hiſtoriam vtranque faciunt. Quis enim ſperauit in eo, & cõfuſus eſt? Ita ſperat Propheta, vt & ſpei fructus excipiat. *Contemplabor*, inquit, *vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Sic & Pſaltes regius: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. id eſt, oculos mentis in Deum meum eleuabo, vt ex eo diſcam quid mihi faciendum & ſperandum ſit. *Aſappe* dictio à *tſapha*, intentam oculorum aciem deſignat, quòd & contemplatio talis futura ſit in nobis (ſi modò omnem ſpem noſtram in Deũ iactauerimus) vt intenta mente in ipſum rapiamur. Nihil caducis immoremur. Quæ ſurſum ſunt ſapite, inquit Paulus, quæ ſurſum ſunt quęrite, non quæ ſuper terram. Hinc ni-

mirùm pendet noſtra cõſolatio. Hic eſt veræ Theologiæ fructus, vt animos ad ſe abducat, & ab his tranſitorijs auocet in ſpem meliorẽ. Hãc Stoici ἀπάθειαν ſanxerũt, quæ eos quauis afflictione immotos redderet. *Videbo quid dicatur mihi*: nam ſpiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis. Sed maximè Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, cũ multifariè, multiſque modis olim Deus loquẽretur patrib⁹ in Prophetis. Hinc verò elicim⁹ in omni quæſtione recurrendum ad Deum, & eos qui habent clauem ſcientię, & ſcripturarum ſenſum: qualis olim Timotheus, cui hoc teſtimonium Paulus perhibet. Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, &c. Hi ſunt mõtes, ad quos populum Dei fugere monet Nahum Propheta, mõtes ſcripturarum, Prophetarum, Euãgeliorum, Apoſtolorum: ad quos recurritur, cùm hæreſes inualueruut, & difficile quid & ambiguũ occurrerit. Hîc loquitur Deus, quaſi ex nube literæ. Prodit enim ex ea, ſicut è cortice detecto prodit medulla. Loquitur per Apoſtolos & Apoſtolicos viros, & eorum ſcripta. Hinc diſcimus quid reſpondeamus importunis hominibus. *Videbo*, ait, *quid reſpondeam ad arguentem me*. Erant enim qui Prophetæ oblatrarent, quod & Hieremiæ: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Populus eius, hære-

2. Tim. 3.

Hieron in Nahum.

ditas eius. Ergó ne putandum eſt hos vera loqui, qui dicunt aduenturos Chaldæos, diruēdum templum & altaria, & captiuum abducendum populum? An Deus eos patietur è hac terra eijci, quā tot fœderibus iurauit patribus noſtris? Ita mendacium improperabāt Prophetis, & arguebant eos. At verò illi ad Deū recurrebant, vt ſuggereret rationes quas populo deſignarent. Loquebatur ille ad eos: hi verò quæ audierāt, ad arguētes referebāt.

Ex his colligimus primam à Deo pendere veritatem, & rerum omnium cauſas, demum in populum illam educi per verbi miniſtros: Diſcunt illi, & docent. Quis enim ex ſeipſo ſe veritatem habere iactet? Nemo poteſt à ſeipſo accipere quicquam, niſi datum ei fuerit de cælo. Hinc eludimus opinionem, & iudicium carnis, vt quæ diuinā lucem impugnet. Non enim cognouit mūdus per ſapiētiā Deū.

Arguunt qui humanè ſapiunt, *reſpondent* autem qui à Deo ſunt edocti. Pendet omnis hęreſis ab electione opinionis. Et hæc ſita eſt in quęrendo & arguendo, & in negando. Sic nimirùm hęreticorum proprium eſt deſtruere, non ædificare: ex quo fit, vt plus illi faciant deſtruendo, cùm facilius ſit deſtruere, quàm ædificare. Itaque ſi qua quæſtio de Dei prouidentia, aut alijs emergit, contra eos requirenda eſt doctrina Dei. *Tertull.*

Habet enim illa vim maximam ad concutiendos animos, & conuincendos eos qui cōtrà nituntur. Hieronymus, Sed & hoc, inquit, *Lib. 1. in Habac.*

notandum ex eo quod dixit, Videbo quid loquatur in me: (habet enim Hebraica dictio *Mah ie dabbei bi*, & Septuaginta τί λαλήσει ἐν ἐμοί.) Propheticam viſionẽ, & eloquiũ Dei, non extrinſecus ad Prophetas fieri, ſed intrinſecus, & interiori homini reſpondere. Vnde & Zacharias: Et Angelus, inquit, qui loquebatur in me. Et in Pſalmis: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Sed & licet fides ſit ex auditu, purgari tamen mentem oportet, & intrinſecus illuſtrari. *Zach.1.*

ORATIO.

1. ATque vtinam ô bone Deus, omnes quotquot conſtituti ſunt in ſublimitate, ſpeculatores ſint, non proditores: & excubias ducant gregibus ſuis, non autem ipſi ſint malorum noſtrorum cauſę, propter incuriam ſuam: quia ſe ſuaque quærunt, non quę ſunt Chriſti tui. Quid verò illis deeſſe poſſet, quod ſui eſt muneris cõtendẽtibus? Tu enim ſuꝑ Chriſtos tuos es, vt in ęternũ cõſeruẽtur.

2. Vtinam nullus ſibi verbi honorẽ & miniſterium arroget, ſed primũ à te audiat, quod demum effundat in populum: vt tot quæſtionibus occurrat, & errantes reducere, nutantes etiam confirmare poſſit.

3. Tu verò hoc Deus Eccleſiæ tuæ concede, vt iiſdem & eiuſdẽ animi & zeli rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidẽ cõtuliſti præeſſe paſtores. Ideò nimirùm diſperſæ ſunt oues tuæ, quia non erat paſtor. Excitatis autẽ paſtoribus pijs & zelatoribꝰ nominis

tui, diſperſa congregabis, & infirma conſolidabis, & errantia reduces. Quod à te pro nobis obtineat Petra noſtra & refugium noſtrũ Chriſtus tuus, qui tecum viuit, &c. Amen.

HOMELIA X.

Et reſpondit mihi, & dixit Dominus. Scribe Viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum, quia adhuc Viſus procul, & apparebit in finem, & nõ mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet.

PEriculoſiores ſunt ij morbi, qui, cùm primùm corruptis humoribus radices egerint, in momẽto prodierunt: non enim facilè ſoluentur: ſicut ignis qui diu ſub cinere latuit, ſi ſemel ſe exerat, vix ſedatur. Et ira quidem ſi è ſubito motu prodeat, facilè diſcutitur. Ita quidem difficillimum eſt occurrere irato Deo, vbi è longè minas præmiſerit: contemptus enim ſæpius, ſtatim atque ſua flagella emiſerit, quis eum ſedabit? Sicut enim torrentes, diu quidem ſicci apparent, ſed congregantur in puncto temporis, violẽto quodam nymborum impetu, nec eis facilè reſiſti-

reſiſtitur: ita quidem quietus Deus apparet, & in tempore diſſimulat. At vbi ſuæ iræ flagella deprompſerit, quis reſiſtet ei? Ita enim Pſaltes: Terribilis, & quis reſiſtet ei? De cœlo auditum feciſti iudicium. Hoc Propheta ex oraculo admonetur. Nam cùm ille Chaldæorum aduentum minaretur, eſſent autem qui hunc contra Prophetiæ ſpiritum negarent: è contra aſſerit ille ſpiritus & hæc mala euentura, & cauſas tantæ captiuitatis in apertum eſſe deducendas. Ex quo nonnulli antiquorum colligunt, è longè quidem Deum minari, ſed ſuo tẽpore calamitatem inducere. Minatur mutationes imperiorum, etiam per Sibyllas. Eas autem implet ſuis tẽporibus. Minatur Iudicij diem. Hunc autem deridẽt impij, & dicunt, Si eſt Deus in cœlo, diiudicans nos in terra: num fortè rationem de impijs ſit habiturus. Quam quidẽ omnium primá fuiſſe hæreſim, ob quam martyr occiſus ſit Abel, teſtantur & ſcribunt Iudæi. At verò ille ſuo tempore oſtendet, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis. Siue enim impius dixerit, En à principio creaturæ perſeuerant omnia, quid illam immutandam, quid exterminandos impios dicis? Reſpondet iam Propheta, *Adhuc viſus procul, & apparebit in finem.* Itaq; cũ anxius Propheta, & tantorũ malorũ euẽtus & cauſas perſcrutaretur, ne fortè mẽdax appareret ſuis, *Reſpondit*, inquit, *mihi Dominus.* Nec enim ille diu anxios & perplexos ſuos relinquit. Interrogat Moſes, & audit

quo tempore educturus ſit Ieruſalem: interrogat Gedeon,& audit quomodo contra Madian ſit progreſſurus: interrogat Dauid,& audit quouſque miſerturus ſit Deus: interrogat Elyas, & audit, relicta ſeptem millia hominum, qui non flectant genua ante Baal.

Scribe Viſum: nón ſatis eſt te hunc memoriæ mandare,& apud populum eloqui: ſcribi volo, vt & poſteri, qui vocem audituri nõ ſunt, ſaltem ſcripto intelligant, quantæ ſint Dei comminationes,& ſibi caueant. *Explana*, inquit, *ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Hieronymus, pro tabulis, inquit, & buxo, quod Hebraicè dicitur *Luhoth*, Symmachus interpretatus eſt paginas: ſed coincidunt. Ita palàm fieri Viſionem iubet. Nam vt volat irreuocabile verbum, ita littera ſcripta manet. Hinc eſt quòd Deus ad cõuincendam, & reſcindendam omnem infidelitatem, non modò viuæ voci, ſed & ſcripto mandari voluit ea quæ credenda ſunt. Non quòd non poſſet fidei noſtræ certitudo non traditione contineri: ſed quòd magis conuincuntur impiorũ animi, cùm intelligunt ſe & tradito & ſcripto confutari. Quid enim? Primi illi Patriarchæ, num ſpiritu Prophetiæ donati ſunt, cùm & fœdus Domini acceperint, & ventura præcauerint? De his enim Iacob præmonuiſſe filios legimus. Num verò id ſcripto egerunt? Non ſanè: ſed viua voce. Hoc illis fuit oraculum ad vſque Moſen, ſed & poſt Moſen: nec Aaron, nec eius tot filij, nec tot inſignes Prophetæ,

Iren. lib. 3. c. 3.

quales erãt Helyas & Helyſæus, aliquid ſcripſerũt. Num & illi vera prænunciabant, & prænunciantibus credendum erat? Quin & ex Apoſtolis pauci ſcripſerunt, nec quidem ipſe Prophetarum poſtremus Ioannes aliquid ſcripto reliquit. Ita probat & Irenæus & Tertullianus, nõ ſcripto ita immorãdum eſſe, vt præter hoc nihil eſſe putemus reliquũ verbo Dei. ſiquidẽ Chriſtus nec ſcripſit, nec ſuos vt ſcriberent monuit, ſed tantùm ait: Ite & prædicate Euangelium omni creaturæ. *Tert lib. de corona mil.*

Vnde fit ergo, vt tam diligenter Dominus moneat & *deſcribi, & tabulis reponi Viſionẽ hanc?* Ad confundendam impiorum incredulitatẽ. Nam ſicut ſigna data ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: ita & ſcripturæ. Vt ſi quis contra traditionem annitatur, aut neget illam; ſaltẽ ſcripto conuincatur. Demum vt poſteri ex illa doceantur, & intelligant ne vnũ quidem capillum de capite noſtro cadere ſuper terram, ſine patre noſtro. Nam cùm hæc legimus, diſcimus, nihil illis patribus aduerſi cõtigiſſe, quod non pręmonuerit Deus. Ita nullum fecit verbum, quod abſconderit ſeruis ſuis Prophetis.

Ex eo agimus contra Anabaptiſtas illos, qui verbum etiam ſcriptum auerſantur. Tabula eſt, aiunt, ſcriptura eſt, quid nõ ſimile humano operi? Ergo operi manuum fides eſt adhibenda? His autem reſpõdemus, nec operi manuum, nec ſcripto, vt ex homine pendet, fidẽ adſcribi, ſed diuinæ reuelationi, & verbo,

quod his velut cortice veſtitur.

Explana, inquit, *ſuper tabulas*. Proponuntur autem illæ omnium conſpectui. Nec ſolũ igitur deſcribi vult, ſed & explanari, id eſt lucidè & apertè proponi. *Vt percurrat qui legerit eũ*, in perpetuam nimirùm rei memoriam. Solet enim qui aliquid attẽtè legit, bis terque percurrere ea quæ ſcripta ſunt, & apud ſe perpẽdere quem ſenſum habeant, quod non facilè in his quæ dicũtur, obſeruari poſſit. Vnde & Chriſtus cùm Danielis Prophetiam explicaret, addidit: Qui legit, intelligat. Ita vult in aperto ſuum verbum fieri, ne qua vlli excuſatio fiat: aut enim Prophetam audiet, aut quæ deſcripta ſunt leget. Hieronym⁹, Sed & iſtud, inquit, huiuſmodi eſt, vt & tranſlationem Septuag. miſceamus. Tabulas enim puto illas,

2. Cor. 3. de quibus Apoſtolus loquitur, Vos eſtis epiſtola noſtra ſcripta in cordibus noſtris. Quoniam eſtis epiſtola Chriſti manifeſtata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Illud ergo huiuſcemodi eſt, Scribe in corde tuo, & quaſi paruuli, qui prima elementa literarum accipiunt, curuos apices, & trementem manum in buxo erudiunt, & ad rectè ſcribendum meditatione conſueſcũt: ita tu quoque, qui ex perſona populi ambigentis locutus es, in tabulis cordis tui & buxo pectoris ſcribe quod dico. Viſio enim eſt quę promittitur, iubeturque deſcribi, & ſcribi manifeſtiùs, vt nullo inuoluatur

nubilo,& nullis ænigmatũ obſcuretur ambagibus, vt manifeſta ſpes manifeſtã habeat ſpõſionẽ. Hoc autẽ Propheta præcipio, nõ quòd tu neſcias (non enim eſſes Propheta, ſi ignorares) ſed vt quòd tu manifeſtiꝰ ſcripſeris, lector abſque impedimẽto atque difficultate poſſit legere atq; percurrere. Septuaginta trãſtulerũt, ὅπως διώκῃ ὁ ἀναγινώσκων, id eſt, vt perſequatur qui legit. Iuxta illum ſenſum, qui ad Timotheũ ſcribitur: Perſequere iuſtitiã & patientiã & fidẽ, charitatẽ, patientiã, manſuetudinẽ. Et ad Romanos, Hoſpitalitatẽ ſectantes. Et ad Corinthios, Perſequimini charitatem. Cur iſtud? *Quia adhuc viſus procul, & apparebit, & loquetur in finẽ.* id eſt, Ea potiſſimũ ratione ſcripto illa mãdari oportet, quòd non ea, quæ in propinquo ſunt, tantùm prædicat, ſed & quæ longè, immo & omnibus ſeculis diſſita. Quòd ſi ſoli traditioni commendetur hoc verbum, quis illud è lõgè venturorum hominum credet? Atqui ſententia hæc, quam prolaturus es ô Habacuk, non modò vim habet contra populum tuum: ſed & contra Chaldæos, & omnis generis omniũ temporum homines, quotquot aut ex rapto viuere, aut in Deũ ſe eleuare, aut alteri nocere contendẽt. Atqui verbum magis ſcripto conſeruabitur.

I. Timoth. 6.

Rom. 12.

1. Cor. 14.

Viſus ergo *procul*, quia in omnes, & omnia tẽpora. Ceu etiam hęc ad Meſſyam traducenda ſunt, illum procul & è longè apparriturũ promittit: vnde neceſſe ſit interim fideles in ea fide cõfirmare. *Apparebit in finem*; etſi procul,

Auguſt. lib. 18. de ciu. c. 32.

manifeſta tandem erit diuini verbi veritas. *Et non mentietur.* Non enim eſt Deus vt homo, vt mutetur, neque vt filius hominis vt mentiatur. Stultus quidẽ vt luna mutatur: & ita quidem euenit, eum qui alicui iraſcitur, in momento ſedari & amicũ reddi. Sed nõ ita Deo cõtingit. Si quid minatur, nec interim pœnitentia ducantur ii, ad quos illæ minæ dirigãtur, nõ dubiũ quin hoc ipſum immiſſurus ſit.

Cæterùm grauia quidem minabatur Iſraëli, ſed nec minus ſeuera Chaldæis, ſi nõ in proximo, ſaltem è lõginquo affutura. Sic remittit Propheta ad Dei iudicia, quæ in poſterũ apparitura ſunt, è quibus diſcant, quòd nec omninò De⁹ plebẽ ſuã dereliquerit, nec inultos ſinat eos, qui tot mala in Iſraëlẽ perpetrarint, etſi ad tẽpus illos patienter tuliſſe videatur.

Non mentietur, ait. Fidelis enim Deus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Quid autem grauius Deo improperare poſſis, ceu Verbo eius, quàm mendacium? Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Chriſti ad Belial? Eſt quippè & ille pater mẽdacij ab initio.

Ad præfinitum tempus, *Veniet & apparebit.* Hæc myſticè dicũtur. Nec enim nominatim demonſtrauit, quiſnam ſit ille qui expectari debeat. Dicat ergo quiſpiam, quòd ad Deum hæc pertineant. Quum enim conquereretur Habacuk, quòd non ſtatim poſt peccata pœnas adducat Deus, neque Babylonios celeri ſupplicio affligat, eius dubij nũc dilutionem

Theophilact⁹ in Habac.

adijcit, dicens, Venturum quidem eũ ſuo tẽpore, ideò expectandũ eſſe. Quorundam verò eſt opinio, quòd hæc de Cyro dicat, qui Babylonẽ deuicturus, ſpoliaturus, & ſibi addicturus eſſet, ſicque iniuriam Iſraëlitis illatam vindicaturus, licet non ita citò. Atqui cùm illis omnia in figuris contigerint, fuerit autem Cyrus typus Chriſti, quantò melius, vt interpretatur Hieronymus, hæc de Chriſto Ieſu intelligenda ſunt? *Veniens* ergo *veniet*, Chriſtus nimirùm, qui & ſuos Iſraëlitas liberet, & vindictam electorum ſuorum faciãt, & extraneas Gentes ſuo ſubijciat imperio. Hæc enim eſt Dei ſapientia, quæ ſuperborum colla propria virtute calcauit. *Si moram fecerit, expecta illum.* Repoſita enim erat ſpes in Meſſya, qui poſt ſeptuaginta hebdomades annorum populum ſuum congregaret, vt & Danieli oſtẽſum eſt. Vnde & Dauid: Ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius. Hæc viſio erat, quam Moſes vidit in Heremo, quam Elyas in Carmelo, quam Daniel ſimul cum antiquo dierum contemplatus eſt. Hæc inquam viſio digna, quæ verbis & ſcripto commendetur. Ad quem enim ea omnia dirigi oportet, aut quę tradita, aut quę ſcripta ſunt, quàm ad Chriſtum? Finis enim legis Chriſtus.

Lib. 1. Cõmẽt in Habac.

Cap. 9.

Itaque *expecta illum*, ceu Viſum, ceu Chriſtum, qui per viſionem repromittitur. Expecta, inquam, cũ & in eum omnium expectatio conijci debeat. Expectauit Iſraël in Ægypto

ſuum Moſen, Ioſue, Iephte, Gedeonem: expecta illum, qui te à periculoſioribus hoſtibus erepturus eſt. Nec tuam ſpem offendat, quòd non citò aduenturus ſit, aut *moram fecerit*. Habet enim tempus præfinitum à patre: incidet autem illa tandem plenitudo temporis, qua mittet Deus filium ſuum factum ex muliere, factũ ſub lege. Expectabit donec vlcus maturuerit, vt in homine curando maior eius & miſeratio & virtus appareat.

Theodor. affec Græ. ſer. de prouidentia.

Quia veniens veniet, & non tardabit. Omnia quidem tarda ſunt ſperantibus, cùm in procinctu habere velimus quæ deſideramus. Sed nouit Deus quando adhibere debeat medicinam. Sic tardabit quidem, ſi votum ſperantiũ ſpectes: non tardabit autem, ſi temporis præfiniti opportunitatem conſideres. Ait enim, Tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Quanto enim tempore hæres paruulus eſt, ſub tutoribus & actoribus agit, vſque ad præfinitum tempus à patre: ita & ad tempus literæ inſeruire, vmbras ſectari, & vetus Teſtamentum amplecti oportuit, donec nouis ſuccedentibus euacuarẽtur vetera. Nõ tardarunt autem illa noua ſacramenta, cùm nec tardiùs Chriſtus aduenerit, quàm Dominus per Prophetas ſuos prædixiſſet, & promiſiſſet.

Porrò quoniã ſumma virt⁹ eſt, indubiè Dei verbo fidem adhibere, & quantũuis difficilia hominibus, Deo tamẽ facillima eſſe ſtatuere: è contra verò ſumma impietas eſt, Dei verbo,

aut eius potentiæ detrahere: Ideò adiicit, *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet.* In Heb. ita legimus, *Hinne Ephelah*, Ecce elata eſt, nō erit recta anima eius in eo: vt peccatum infidelitatis ad elationẽ & ſuperbiam reducat. Vnde ſcilicet proficiſcuntur hæreſes, niſi ab elatione animi, cùm quis plus nimio ſibi ſapere videtur, ſeque omnibus præfert: quaſi ſolus reſeruatus nobis ſit à Deo, vt hoc tempore reuelet Euangelij lucem, quòd & illam, inquit, nec Apoſtoli, aut ſaltem qui eos conſecuti ſunt, non agnouerint? Hæc autem ſententia ſic in Chaldaicis Bibliis legitur: Ecce impij dicunt in corde ſuo, non erunt hæc omnia (quæ Deus per Prophetas prænunciat) ſed iuſti in veritate eius, ſcilicet Dei, firmabuntur. Quid enim peius eſt quã adinſtar Achab Prophetarum comminationibus detrahere? Malebat ille Pſeudoprophetas, & eorũ Principem Sedechiam, qui adularentur, & eum palparent, tandemque in profundum malorum demergerent. Michæam autem aduerſum & quaſi inimicum ſuum ſtatuebat, qui nollet adulari, ſed vlcus detegeret, vt ad pœnitentiæ medicinam eum induceret. Quàm melius Rex Niniue, qui ad ſolam propheticæ vocis famam, omnes ſuæ ciuitatis incolas, ad ſaccum & cinerem, ad ieiunium & clamorẽ inuitauit? Quis ſcit enim, inquit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus? Atqui apud Iſraëlitarum Principes malè audiebant Prophetæ, &

quaſi deliri & fatui habebantur, quòd vrbis deſtructionem, & Regis populique captiuitatem prænunciarent. Malebant eos qui blandirentur, &, vt ſcribit Eſaias, dicebant: Loquimini nobis placentia, & audiemus vos.

Cęterũ par eſt impietas, arbitrari ſic omnia deſperata eſſe, vt Prophetæ nos ad certam in Domino fiduciam eleuanti, diſcredamus. Nũ ſcilicet conuertetur miſereri Deus, vt cõplacitior ſit adhuc? An ſemper continebit in ira miſericordias ſuas? Promittebat Habacuk Cyri aduentum, immò & ipſius Chriſti. Qui autem nõ credit à Deo fieri poſſę, vt captiuus populus poſt ſeptuaginta annos remittatur in Ieruſalẽ, & tanta gratia à Cyro & Dario Principibus Babylonis donetur, vt ſimul transferat omnia vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchonozor tulerat, & plenam habeat reædificandi templi poteſtatem: *quomodo recta erit anima eius in illo?* Quid ergo ſperat? Et ſi nos adeò deplorata omnia arbitremur, vt animos abiiciamus, & nullum in poſterum diuinę bonitatis relictum eſſe nobis veſtigium putemus: quomodo recta erit anima noſtra in nobis? Quoniam cùm iratus fueris, ô bone Deus, miſericordiæ recordaberis. Quid magis ad fidẽ accedit quàm ſpes, cùm ſit illa ſperãdarum rerum ſubſtantia? Quid magis ad infidelitatem, quàm deſperatio? Qui enim non credit, quid ſperat? Pollicebatur etiam Dominus per Prophetam, lapſi huius ſeculi per Chri-

ſtum reparationem . Quis verò rectus eſt in ſemetipſo, ſi Chriſti aduentum & reconciliationem noſtram in eo negauerit? Infœliciſſimum hominum genus eſt, quod fidem omnem euacuauit. Immò, vt ſcribit Paulus, miſerabilius omni animante, ſi ſpem omnem abiecerit. Hinc nimirùm pẽdet ſummũ illud peccatum contra Spiritum ſanctum: pro quo nolo vt roget quis, inquit Ioannes. Eſt enim peccatum ad mortem. Hinc emergit blaſphemia in Spiritum ſanctum, cùm ex eo Spiritu ſpes noſtra conſurgat, etiam in rebus, quæ alioquin deſperatæ cenſerentur. *1. Cor. 15.*

Et quidem quantum hoc ſcelus auerſetur Deus, Græca trãſlatio Septuag. interpretum confirmat. ſic enim habet, ἐάν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ: id eſt, ſi retraxerit ſe, nõ placabitur anima mea in eo: quod ſic traducit Theodoretus, ac ſi dicat: Qui meas prædictiones in dubium reuocat, non dignus eſt qui mihi curæ ſit. Adeò Deus eos abiicit, qui aut ſpem aut fidem abnegant, & in quæſtionem vertunt ea quæ credẽda ſunt. Vt autem ſumma maledictio manet eos qui non credunt, cùm iã iudicati ſint, vt ait Chriſtus: ita ſumma benedictio ad fideles profluit. *Iuſtus enim ex fide viuit*. Hãc ſententiã vſurpat Paulus duobus locis, ad commendandam fidei neceſſitatem. Nam in Epiſtola ad Romanos, Iuſtitia enim Dei, inquit, in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Et ad Galathas: *Rom. 1.*

Gal. 3. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit: lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in illis. Fidẽ quidẽ ad Chriſtum tranſuehens, & nouum Teſtamentum, cùm ſit ipſe finis legis. Neque verò ex eo intendit, ſola fide nos iuſtificari, aut fidem nudam ſtatuit, cùm ipſa ſine operibus mortua ſit. Num ſcilicet & ille hæc alibi? Etiamſi fidem tantam habuero, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Nam ſi ſola fides iuſtificat, quid impedit ne dæmones iuſti dicantur? Credunt enim, & contremiſcunt. Et quidem Auguſtinus *Tom. 7. in ſerm. ſuper geſtis cum Emerito.* agnoſcit inter Donatiſtas verum Euangeliũ, ſacramenta, veram etiam fidem: quid ergo in illis damnat, aut quare illi à communi Eccleſia excluſi ſunt? Nimirùm quòd deeſſet illis charitas, qua maximè cætera proſunt, ſine qua fruſtra ſcientia eſt, fruſtra Prophetia, fruſtra eleemoſynæ. Maior enim omnium eſt *Iac.* 2. charitas. Quicunque enim totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno, factus eſt omnium reus. Quod illud vnum eſt, niſi charitatis præceptum, è quo pendent omnia? *Matth.* 22 *Rom.* 13. Plenitudo enim legis eſt dilectio. Et qui diligit, legem impleuit. Itaque iuſtus in fide, ceu ex fide, ſed non ſola viuit, ſed & ex ipſa iam animata per charitatem. Quæ ſi in aliquo talis fuerit, quid eſt quod timeat? Cui aduerſitati non præualere poſſit? Morbis? an domeſticis perturbationibus? an publicis cla-

dibus? At verò ſancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.

Cæterùm Hieronymus conciliat ſuam traductionem, & illam quam Paulus ſequitur, ad Romanos ſcribens, immò quam tradiderunt Septuaginta. Hebraicus quidem textus eſt, *Vetſaddik Beemunatho iheieh*. quod eſt, Et iuſtus in fide ſua viuet. Septuaginta vertunt, vt obſeruat Hieronymus, Iuſtus autẽ ex fide mea viuet, quos etiam Paulus ſequitur. Multũ verò intereſt, an fide ſua, an fide Dei quis viuat. Atqui Symmachus ſignificantiùs concurrit ad interpretationem Hieronymi, ſcribens, ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει, quod eſt, Iuſtus autem per fidem propriam viuet. Occaſio autem huius varietatis eſt, quòd Septuag. legerunt *Beemunathi*, in fide mea, per *Iod* in fine: cæteri autem legunt *Beemunatho*, in fine eius, per *Vaf*. Magna enim ſimilitudo eſt litteræ *Vaf* & *Iod*, quoniam menſura tantùm inter ſe diſtare videntur. Porrò quòd Apoſtolus Septuaginta teſtimonio magis abuſus eſt, ad Romanos ſcribens: Iuſtus autem ex fide mea viuet: & non eo quod habetur in Hebraico, cauſa perſpicua eſt. Scribebat enim Romanis, qui ſcripturas Hebraicas neſciebant, nec erat ei cura de verbis, cùm ſenſus eſſet in tuto, & damnum præſens diſputatio

non haberet. Alioquin vbicunque diuerſus eſt ſenſus: & aliter ſcriptus eſt in Hebraico, & aliter in Septuag. nota eum his vti teſtimoniis quæ à Gamaliele Doctore legis didicerat.

Manet interim hæc concluſio, neminem animo deiici, aut ſpem deponere debere, quãtumuis magnis anguſtiis prematur. Deus vtique timendus eſt, ita tamen vt ſpem noſtram in eum coniiciamus.

ORATIO.

1 QVid enim non ſperandum oſtendit Chriſtus ille tuus, ó bone Deus, qui eapropter venit, vt mediator eſſet inter te & nos, & iugum exactoris Sathanæ, & virgam oneris eius ab humeris noſtris excuteret?

2 Hic ille eſt, quem Prophetæ prædicant, in quem conſpirant omnia: qui vt expectabatur à patribus, ita ſuo tempore venit, vt nos è ſeruitute peccati in libertatem iuſtitiæ vendicaret.

3 Hæc illa eſt dilectio, qua dilexiſti nos in filio tuo, vt quicunque crediderit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Nam & in ipſo iuſtitia fidei noſtræ repoſita eſt.

4 Tu ergo nos ab hæreticis, ſchiſmaticis, Barbaris & infidelibus eripe, tu illos proſterne, tu gregem tuum conſerua, per eundem filium tuum, &c. Amen.

HOMELIA XI.

Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur. Dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & nõ adimpletur, & cõgregabit ad ſe omnes Gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos. Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur: Væ ei qui multiplicat non ſua. Vſquequò aggrauat contra ſe denſum lutum?

NVllum violentum perpetuum. Lenis pluuia magnos ventos, & pauci radij ſolis ſereno illuceſcentes, magnos torrentes exſiccant. Hinc nec ea quæ in mométò creſcunt, diu perſeuerant, cuius generis ſunt herbæ grãdiores, & ipſi etiã fungi. Arbores verò quæ ſenſim eminẽt, durabiliores ſũt. Ad eorũ inſtar nobis in rebus humanis conſiderãdũ eſt. Illa enim quę è cõcitato & inflatu ſpiritu pẽdẽt, & in momẽto ſeſe exeruerũt per ſuperbiam, in momento etiã conterẽtur. Hinc & Pſaltes: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatũ ſuper cedros Libani, tranſiui, & ecce non erat. At verò quæ ſua ſenſim virtute prodeunt, ſolidiora ſunt. Eapropter cùm Dominus nos in certum & diu duraturũ

vinculum conuocaret, humilitatem & mutuam charitatem commendauit, omnem verò ſuperarrogantiam reiecit. Ne quis ſcilicet inimicum diris deuoueat, eidem malum, ſed bonum rependat: ne fratrem, licet in ſe peccantem, auerſetur, ſed omninò illum ad mẽtem reducere contendat. Omnia ad humilitatem, charitatem, & tolerantiam reuocauit: è contra crudelitatem, vindictam, & id genus omnia, vt aduerſaria ſuæ Eccleſiæ, deteſtanda monuit. Quo enim magis Chriſti Ieſu Eccleſiam exprimes, quàm his virtutibus? Quo demum colore Sathanæ ſynagogã magis depinges, quàm odiis, diſſenſionibus, cõtemptu, & tyrannica quadam crudelitate, qua venia peccantibus denegetur? quàm furtis & rapinis?

Huius typũ geſſit Nabuchodonozor: quin & ipſa de eo vindicta, & humiliatio, nobis Chriſti de Sathana triumphũ expreſſit. Porrò eius arrogantiam & tyrannidem ex ſuperiori capite audiuimus: nunc ipſam, eiúſq; certiſſimum iudicium exaggerat. Axioma verò pręmittit, ex quo non ille modò, ſed quotquot eius ſuperbiam & rapinas ſectantur, audiant quod in poſterum eos maneat iudicium. Ait enim, *Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur*. Ita vulgari vrget exemplo illorum infœlicitatẽ & ruinam. Quid enim homine ebrio miſerabilius? vinum ſcilicet & mulieres auferunt cor. Quid aliud habet ſociorum Vlyſſis in

porcos

porcos per Circen mutatio, quàm quòd illi per gulam & ebrietatem ſeſe ex hominibus in porcos tranſmutarunt? Quod enim triſtius eſſe poteſt ſpectaculum, quàm videre hominem ſapientem ex ebrietate fatuum, fortem imbecillum, cæcum, titubantem, & nihil aliud pr̨e ſe ferentem, quàm quiduis omni animali peius? Hoc olim ſpectaculum Spartani pueris ſuis exhibebant. Qui enim Phiditijs præerant, vnum aut tres Heilotas meri plenos & ebrios producebant, vt adoleſcentibus demonſtrato quid rei eſſet ebrietas, ad temperantiam ſeruandam eos inſtigarent. Dulce quidem, ſed pernicioſum eſt vinum, ſi ſuperfluè ſumatur. Ita dulcis eſt rerum acquiſitio & poſſeſſio, dulcis honorum vendicatio, ſuauis & illa eſt exaltatio, quæ ſuperbis hominibus contingit: ſed idẽ planè in ijs efficit, quod vinum in ebrijs. Nam & vertiginoſum caput reddit, cùm tot ſollicitudines ingerat, vt qui plus habet, plus etiam habeat quod curet. Ebrietas mentem alienat. quid autem magis à ſeipſo excludit, quàm ambitioſa rerum acquiſitio? Hinc nimirùm quidam nec ſe homines meminerunt, ſed quaſi in meliorem & fœliciorem ſortem vocati, pauperiores contemnunt & deludũt. Eſai. 28. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt ab ebrietate, neſcierunt Videntem, & ignorauerunt iudicium. Quid verò magis lites prouocat quàm ebrietas & pr̨eſumptio? Pro. 23. Cui v̨e, cui patri v̨e, cui rix̨e,

Plutarch. lib. in Stoicos.

1 (beside "vinum in ebrijs. Nam & vertiginoſum caput")

2 (beside "plus habet, plus etiam habeat quod curet. E-")

3 (beside "dentem, & ignorauerunt iudicium. Quid ve-")

cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffoſſio oculorum? Nónne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Et Oſee 7. Cœperunt Principes furere à vino. Atqui idem Salomon, Prou. 11. Vbi fuerit ſuperbia, ibi contumelia. & 13. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. & 28. Qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat.

Itaque ex ebrijs, aptè etiam ſuperborum cõditionem explicat. *Vinum*, ait, *potantem decipit.* Suaue quidem eſſe videtur, cùm potatur: ſed in venenum conuertitur, ſi plus nimio ſumatur. Aufert rationem, robur corporis, & omnes omnium partium functiones. Tum enim acies oculorum obtunditur, balbutit lingua, auditus, guſtus, cæteraque ſopiũtur, nihilque humanum homini reliquum eſt præter apparentem illam corporis effigiem. Quæ etiam præ ſe fert vini ipſius malitiam, cùm ſpumat os, plorant oculi, & toruè quid intuentur, tremiſcunt manus, titubant pedes, & quaſi mõſtrum aliquod puluere obuoluitur.

Hoc cùm hominum aſpectui horrẽdum ſit, quàm putamus deteriores eſſe ſuperbos corã Deo? Sunt qui præ ſuperbia oculos eleuent, ſuper pedes gradiantur, compoſito gradu incedant, loquendo buccas inflent, toruè intueãtur, manus neſcio quibus geſtibus ad verborum lenocinium componant: ſed quid hęc omnia coram Deo, niſi fabulæ, & meræ ineptiæ?

Gloria crocodilus, inquiunt Veteres. Nam

qui ſuam gloriam quærit, in momento Deo iuſto vindice deijcitur. Et qui ſe exaltat, humiliatur. At verò humilem ſpiritu excipiet gloria. Quomodo non ſcilicet in fabulam redacti ſunt, qui præ ſuperbia cæteris ſe prætulerunt. Ecce ipſum etiam Luciferum è ſupremis locis, Deus in infernam abyſſum deiecit. Vbinam es Lucifer qui manè oriebaris, inquit Eſaias. Nunc quidem in infernum demergeris. Dulcis quidẽ eſt & auida gloriæ ebrietas, ſed quæ facilè ſuos ſubuertat. Hoc ex Nabuchodonozor didicimus, vt qui è ſummo gradu eiectus, in belluam transformatus ſit. Porrò nepos eius Balthaſar vtroq; modo ebrius, cùm Deum Iſraëlis contemneret, & in ſacris vaſibus propinaret, aduerſam audit ſententiam, *Mane techel phares*; quod Aſſyrij regni diuiſionem, & ipſius Regis cædem demonſtraret. Nam & ipſe à ſuis cuſtodibus occiſus eſt, eiúſque caput Dario, in ſummum munus prolatum eſt. Sic vt exclamat Hecuba, *Seneca in Troade.*

Quantos caſus humana rotant,
Minus in paruis furioſa ferit.

Quàm magni luctus magnatibus deſignantur, qui inebriati ſunt de vino proſtitutionis, meretricis illius magnę Babylonis, quę ſedet ſuper aquas multas? *Apoc. 17* Quid aliud verò poculũ hoc quod porrigit, quàm fumum inanis gloriæ, & deliciarum huius ſeculi? Ita Ioannes ſuperbiam & delicias ebrietati confert, quorũ nouiſſima deludant eos qui his abutuntur. *Non decorabitur*, nec ipſe Nabuchonozor, nec

Balthaſar, ſed Aſſyrium regnum in alios trãſmigrabit, ſed neque quiuis ſuperbus exaltabitur: Dei enim iudicio deprimetur, quod eum certo tempore manebit. Porrò Nabuchodonozor, & ſuperborum omnium acquirendi ceu dominandi cupiditatem alijs ſimilitudinibus exprimit, dicens, *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Comes enim eſt ſuperbiæ auaritia, & habendi cupido. Quam ſic depingit

*Prouε.*30. Salomon. Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit dentibus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes de hominibus. Sanguiſugæ ſunt duę filiæ dicentes, Affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit: Infernus, & os vuluæ, & terra quæ nõ ſatiatur aqua: ignis verò nũquã dicit, ſufficit. Quid verò inſatiabiliꝰ eſt ſupbia & auaritia?

Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda;
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Conſidera, inquit, tu mihi infernum, quando ille impletur? Nec enim ſepulcrum cadaueribus, nec ima illa pars terræ animis impletur. Conſidera mortem, quando non requirit quod abſumat? Cui parcit? Num ſapiẽtibus? Num *-ſceptra ligonibus æquat?*

Ad eum planè modum eſt ſuperbia & auaritia. Num Alexander de altero orbe quæſiuit, cùm iam habitabilem ſibi ſubieciſſet? ſic

Iuuen. *Vnus Pelæo iuueni non ſufficit orbis.*

Nõ ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Ecquis verò diuitum aliquando dixit ſatis ſibi eſſe, quod habebat reconditum? Quibus pecunijs parcit? Ne quidem regijs. Ex his manifeſtum eſt, nullam ijs rebus ineſſe fœlicitatẽ, quæ ad honores, aut huius ſeculi diuitias faciãt. Quid facit infernus, ceu illum pro ſepulcro, ceu abyſſo ſumas? Sepulcrum quidem in putrorem reſoluit cadauera, abyſſus autẽ cruciat animas. Quid aliud ſuperbia aut auaritia? Mentes torquet, corpus ſollicitudinibus exſiccat, & hominis vitam breuiorem reddit. Mors animam à corpore ſeiungit: illa verò hominem ſine mente, quaſi mutum cadauer relinquunt, vt qui rebus caducis totam ſuam expectationem defixerit. Inde effectum eſt, vt priſci ſapientes ſua etiam relinquere maluerint, & in peregrinas regiones tranſire, vt quid ediſcerent: quàm vt ſuis diuitijs q. Caucaſo monti deuincti, à ſtudijs auocarentur. Chriſtus verò ſuos ad ſpontaneam paupertatem ſelegit, ne fortè diuitijs velut ſpinis verbum Dei ſuffocaretur. Vanam ergo & breui diſſipãdam Nabuchodonozor ſuperbiam declarat. *Congregabit*, inquit, *ad ſe omnes gentes, & coaceruabit ad ſe omnes populos.* Hoc quidem ei ſumma cum fœlicitate ſuccedere viſum eſt, cùm nullus ei reſiſtere poſſet: verùm timere debuit volubilitatem fortunæ. Hanc ipſe etiam Alexander verebatur: cui cùm quædam ei melioris nuncij ſignificarentur, O Iupiter, inquit, miſce etiam aliquod infortunium. Ita *Plutar. in Apoph.*

ſapientiſſimus Princeps minimè exultandum monebat, ſed timendũ, cùm proſpera occùrrerint; ne fortè illum è ſummo in ima deijciat Deus. Hoc & Hecuba,

Vides tyrannos in ſublime elatos
Quàm breuis & vnica dies ſuſtulerit.

Coaceruabit, ait, *& cõgregabit populos multos.* ſed *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſumẽt, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur: Væ ei qui multiplicat non ſua?* Habent enim ſua quædam ænigmata auari, & tumidi quique, quibus ſoli in conquirendis alienis congratulentur. Iulius quidẽ hoc: Si ius violãdũ eſt, regnandi gratia violãdũ eſt. Et, *Sẽper nocuit differre paratis.* Alexãder verò, μήδε τὴν γῆν ἡλίους δύο, μήτε τὴν Ἀσίαν δύο βασιλεῖς ὑπομένειν. Alij, Aut Cæſar, aut nihil. Habuerunt hoc Romani,

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Habent & alij in priuatis diuitijs, vt & iſtud, Qui ſuum & quod alterius eſt habet, nihil perdit. Si modico modicum adiicias, cumulatur aceruus. Hæc Nabuchodonozor, Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in fortitudine mea? Verùm hæc ænigmata quid facient, cùm Deus cataſtrophen cecinerit, & ſuperbos demiſerit mẽte cordis ſui? Deludentur illi, ceu ſapere, ceu diteſcere ſibi videantur, & in deriſum ſumentur illorũ ænigmata. Dicetur, *Væ ei qui multiplicat non ſua.* Quandiu illos proſperitas manebit, omnes cedent illis, attenti illorum ſermones audient, nomina celebrabunt: at vbi illa deci-

derit,tum omnes è conuerſo obgannient, & deludent eos vanos conatus,& ſeſquipedalia verba. Prouerb.27. Qui benedixit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens maledicenti ſimilis erit. Simul enim atque nox tribulationis obuenerit,qui priùs tibi benedicebat, oblatrabit. Et hoc quidem eleganter expreſſit Chryſoſtomus,Homelia cui titulus eſt,Quòd nemo læditur niſi à ſemetipſo.Occurrit enim eorum obiectioni,qui id cõmodi percipi à diuitijs cẽſent,quòd & annexos habeãt honores, & in inimicos vltiones faciliùs præſtãt.Atqui, inquit, fucatus eſt hic honor. Sicut enim plerunque meretricis vultus, cũ turpis & fœdus ſit per naturam,fucis& coloribus pigmentatus proſtituitur ad decipiẽdos eos qui ignorant: quæ fœditas ſub velamine fuci illius contegitur: ita & diuitiæ faciunt, cùm adulationem volunt honorem videri. Neque enim illæ voces populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate ſunt. Nam ſi conſcientias interroges acclamantium tibi., inuenies apud vnumquemque eorum mille te capitibus accuſari. Denique vbi metus poteſtatis ceſſauerit, & publicæ pompæ fuerit ſcena reſoluta: tunc videas quanti oblatrantes ex his etiam prodituri ſunt, qui tibi priùs acclamabant. Et quidem illi ipſi ſunt canes, quos Poëtica fabula Actæonem dominum ſuum diſcerpſiſſe fingit. Namque vt hyrundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt:

Lib. 4. ad Herenn. ita falſi amici ſereno vitæ tẽpore præſto ſunt, inquit Cicero: ſimulatque fortunæ hyemem viderint, deuolẽt omnes. Nec quidẽ his quãdoque peiores ſunt inimici. Et hi quidem, cũ deſolatio ſuperuenerit, acclamaturi ſunt ſuperbo olim diuiti, *Væ qui multiplicat non ſua.* Iuſtus autem, qui priùs ab illo affligebatur, lætabitur cùm viderit vindictã. Sic quippè Dauid cùm Babyloniorũ riſus, & in Iſraëlis populum captiuum arrogantiam deſcripſiſſet, ſimul etiam illorum cladem, non ſine gratiarum actione prædixit, his verbis: Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Ita pro adulatorum benedictionibus, ſuccedet omnium maledictio. Porrò vt Sathanici regni, in Nabuchodonozor, ita & ipſius & omnium ſuperborũ ſynagogæ excidiũ, ſub typo Babylonis apud Ioannem exprimitur, cum Væ & maledictione. Nam ſtatim atque Angelus ex-*Apoc. 18.* clamauit in fortitudine, Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmonũ, & cuſtodia omnis ſpiritus immũdi: tum mercatores, qui diuites facti ſunt ab ea, longè ſtabunt, propter timorem tormentorũ eius, flẽtes ac lugentes, & dicentes, Væ væ ciuitas illa, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata auro, & lapide precioſo & margaritis. Quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & nautę, & qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt, videntes locũ incendij eius, di-

gẽtes, Quis ſimilis ciuitati huic magnæ? Hæc deſolatio cõtinget his qui ex alienis incõmodis ſua cõmoda parare nitũtur. *Vſquequò aggrauãt contra ſe denſum lutũ?* Quid enim aliud ſunt honores & diuitiæ, niſi adinſtar dẽſi luti, quo tãto magis ſe inuoluit, qui eo ſe euoluere nititur? Fingamus ſcilicet aliquẽ lutú ingreſſum eſſe, pendere & aliud condenſatum in eũ, nũ timere debet, ne fortè & eo obuoluatur? Porrò omnia hæc cuius precij fuerũt apud Paulum, quàm velut ſtercora? Hoc habet lutum, vt ſi quem demerſum teneat, ita ſibi obuinciat, vt facilè emergere non poſſit. Diuitiæ verò & honores quomodo non colligatos retineant? Hinc eſt quòd Genti cuidam vincula aurea data ſunt. Habendi verò cupiditatem, idolorum ſeruitutem eſſe dixit Paulus, vt quæ hominem ſuis affectibus obuinciat, nec aliud ille per fas & nefas intendat, quàm quod ad augendam ſuam ſubſtantiam faciat. Lutum aggrauat, & pedes retinet: nec eſt quod magis auocet hominem à via fœlicitatis, quàm illa habendi cupido. Hinc illud Euãgelicum eſt dictum: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

Sed & aliter denſum lutum interpretabimur, pro opere laborioſo & vano. Talia nimirùm illa ſunt, quæ ex luto fiunt, mœnia & ædificia: quæ vt multo labore eriguntur, ita breui momento diſſoluuntur. Sic Ezech. 13. Ipſe ædificabat parietem: illi verò liniebant

luto abſque paleis. Chald. habet, Qui munit ſibi arcem peccatorum, cuius perquàm certiſſima ruina eſt. Illa verò num tanto fragilior, quanto elatior eſt? Num & habitatorem ſuum obruet? Ita quidem maior vindicta eos conſequetur, qui in ſuperbia cordis ſui, & rapina, ſibi firmam aliquam & amplam familiam ſtatuere voluerunt. Græca dictio Septuag. talis eſt. Væ qui multiplicat ſibi ipſi, non exiſtentia eius, ἕως τίνος, καὶ βαρύνων τὸν κλοιὸν αὐτοῦ ςιβαρῶς, eouſque ac onuſtũ faciens vinculum vehementer. Tanto enim maiora ſunt onera & vincula, quanto maiores diuitiæ & poſſeſſiones, in alterius incommodum conquiſitæ.

ORATIO.

1 QVàm verò melius modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorũ multas? Quã melius confidere in te Domine, quàm ſperare in multitudine diuitiarum? Nam gloria & diuitiæ in domo tua, quibus nihil eſt quod conferri poſſit.

2 Quanta demum mutatio ſuccedet his, qui poſuerunt carnem brachium ſuum, qui baculo arundineo incubuerunt, qui viribus & induſtria & dolis ſuis confiſi, de iniuſtè raptis inſolentiores euaſerunt?

3 Tu domine, ab iniqua rerum cupiditate animos noſtros auerte, & conatus omnes Barbarorum, hæreticorum, aut quorumuis infidelium diſrumpe, qui hæreditatem tuam, populum tuum, gregem illum tanto filij tui pre-

cio redemptum inuaſerunt.

4 Fiat idem illis quod Nabuchodonozor, & iis omnibus qui plebem Iſraëliticam iniuſtè detinuerunt: Nutantes adinſtar ebriorum transferãtur, & idem illis ſuccedat iudicium, cui populum tuum ſubiicere nituntur. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XII.

Nunquid non repentè conſurgent qui mordeant te: & ſuſcitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? Quia tu ſpoliaſti Gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis: propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea. Væ qui cõgregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali, Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.

OLim quidẽ ab Heſiodo dictũ eſt, *Malum conſilium conſultori peßimum.* Sed ego dixerim, nulli nocentiores eſſe diuitias & honores malè congeſtos, quàm ei qui ſibi illa vendicauit. Diuitiæ quidem ſerpenti ſunt ſimiles, inquit Clemens Alexandrinus, *Lib.3.Pæ. c. 6.* quem ſi quis neſcit inoffenſè eminus accipere, beſtiam ſine periculo ſumma cauda

appendens, ea manu circũplicabitur, & mordebit: ſed ſi quis ſe magnificum præbens, rectè & ſcienter eis vtatur, cùm verbi quidem carmine beſtiam detraxerit, ipſe quidem illæſus manebit. Ad eundem enim modum diuitiæ ſi ab imperito apprehenduntur, inhærent, & mordent: at qui ad verbum Dei, velut amuſſim certiſſimam, earum vſum direxerit, nihil detrimenti accipiet. Inde fit, vt ij maximè decipiantur, qui ſibi ſatis eſſe putãt, modò familiam ſuam augeant: cùm nihil ſit diuitiis & honoribus fugacius, & infidius. Hoc & contra Nabuchodonozor, & Babylonios, immò & eos omnes, qui cum incommodo pauperum ſua lucra conquirunt, maiore quadam vi exaggerat Propheta. Nam nec ſatis eſt *Væ* illis prædixiſſe, ſubſannationem & ludibrium illis prænunciaſſe: nihilque aliud eos quàm lutum denſum quo aggrauentur coaceruare, nihil ædificare quàm munitionem peccatorum ſtatim à Deo vindice diruendam, ſeque vinculis & conſtringere & onerare. Nunc etiam adiicit: *Nunquid non repentè conſurgent, qui mordeant te?* Nunquid tibi diuitiæ vt ſerpentes erunt, quæ tibi inuidiam, contentiones, & mille aduerſarios producant? Vt enim paupertate nihil contemptibilius eſt, ita nec diuitiis aliquid inuidioſius eſt. Conſidera tu mihi belluarum cõditionem. Illæ quidem ſæpè terrore concuſſæ, ab hominum aſpectu quantum poſſunt
Geneſ. 8. fugiunt: hunc enim terrorem cunctis anima-

libus terræ Deus immiſit. Si tamen viderint ſe premi ſeueriùs, nec euadendi locus niſi armis & violentia ſuperſit, armantur quidem in ipſos etiam venatores, quos aut cornibus impetere, aut dẽtibus, aut vnguibus, aut cauda, aut ſaltem graui vlulatu concutere nituntur. Ita læſa quandoque fit furor patientia. Quid enim oue manſuetius? Et hæc tamẽ armatur contra prouocantem ſe. Ad eundem planè modum pauperes, & quotquot ex populo laceſſuntur à tyrannis & imperioſis diuitibus, cedunt quidem primo. At verò num eorum animos reuocare poteſt Deus, & in faciem potentis confirmare, vt cùm ſe conſtrictos, & toties laceſſitos viderint, *repentè conſurgant, & eos mordeant?* Neque enim adeò miſeri ſunt & inutiles cuiuſuis conditionis humilioris homines, qui ſi non adiuuare, ſaltem lædere & mordere non poſſint. Senſit à nauta ſummum beneficium Xerxes, à mãcipio Cyrus, & vt ad ſacras ſcripturas veniam, ipſi Iſraëlis exploratores à meretrice in Hiericho excipiuntur. Quid verò magis Sardanapalum, Dionyſium Syracuſanum, aut Tarquinium Superbũ perturbauit, quàm concitatus in eum populus? Quid Saulem, aut Dauidem, quàm cùm plebs vni ad Dauidem, è Dauide demum ad Abſalonem deſciuit? Quid quòd tandem ad Hieroboam? Mordetur & offenditur populus crudelitate magiſtratuum: at ſi quando Deus permittat eos inſurgere, quid pernicioſius excogitari poteſt? Nam & illi in

flagellum ſunt Principū. Quàm magnæ ſunt illæ in ſacris & prophanis ſcripturis hiſtoriȩ, de concitato in nobiles populo? Qui fugiebat, rurſus præliabitur. Fugiebant primùm, at deſperatis in rebus cùm animos collegerunt, repentè ad inſtar ferarum *conſurrexerunt in ſuos, & eos momorderunt*. Adiicit. *Et ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis*. Suſcitabuntur, ait, aut permittente modò, aut ipſo excitante Deo. Quàm enim facilè eſt deſolatam & penitùs deſperatam plebeculam ſuſcitare, ſi modò caput factionis inuenerit? Quòd ipſa timore ducitur in ſuos, id diuinæ eſt gratiæ: ſi verò illam gratiam abſtulerit Dominus, & in correptionem magiſtratuum, ſinat rebelliones, & quicquid eſt ſiniſtræ opinionis, in iis graſſari permittat, quis eorum non mordeat, & laceret? Namque vt principes in correctionem populi ſunt, ſi ſuo fungãtur officio: ſic & populus in caſtigationem eſt temeritatis principum, ſi ſuo munere abutantur. Quin & Deus per minima & abiectiſſima animantia, ſuperba & fortia confundit: vt non ſolùm ad populum hæc diuinæ vindictæ flagella deriuentur. Quid enim magis torſit Pharaonem, quàm pulices, ranȩ, muſcȩ, cyniſes, & id genus putrores? Et quo repreſſa eſt illa Herodis & Antiochi præſumptio, niſi vermibus, qui eos morderent & conſumerẽt? Quin & legimus Othonem Moguntiæ Epiſcopũ, quòd pauperes muribus comparaſſet, à muribus eſſe conſumptum. Sic qua

menſura mēſi fuerimus, remetietur & nobis. qui rodit, rodetur: & qui lacerat, lacerabitur.

Quia tu ſpoliaſti Gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis. Ita prima hęc naturæ lex in praxim reuocabitur, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Seminaſti miſericordiam, colliges miſericordiam. Seminaſti crudelitatem, quid aliud quàm crudelitatem expectas? Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui nō fecerit miſericordiam. Hęc eſt lex naturæ. Ad eam proximè acceſſit & hæc: Vt qui oculum effodiſſet, effoderetur & oculus eius: qui brachium conſcidiſſet, reſcinderetur & brachium eius. Hoc primum cuiuſque etiam Barbari menti inhæret, vt idē ab aliis expectet, quod ipſe fecerit. Spoliauit, ſpoliabitur. Oppreſſit, opprimetur. Hæc lex nuſquā nec in priuatis, nec in publicis perſonis & negotiis fallit. Hāc ſententiam Paulus ex Habacuk tranſcripſit his verbis, Væ qui prędaris, nónne & prædaberis? Hoc olim dicterio Thomyrim mortuum etiā Cyrum aſperſiſſe legimus, cū caput eius in vtrē ſanguinis repletum deiiciens, hanc exprobrationem crudelitatis emiſit, Satia te ſanguine Cyre quem ſitiſti: & cuius inſatiabilis ſemper fuiſti. Quin & Craſſum Babylonij deluſerūt, vt quem viuum liquido auro potarūt, quòd inſatiabili auri cupiditate teneretur. Habet autem hæc ſententia locum in omnibus. *Reliqui*, ait, *omnes ex populis ſpoliabunt te*. His executoribus vtetur Deus. Quod enim tam

Qui gladio percuſſerit, gladio peribit.

Iuſtin. li. 1.

vaſtum eſt imperium, quod non exterorum populorum deprædationibus pateat, ſimodò Deus permiſerit? Spolia quantumuis ampla referant, vnus non dicam annus, ſed dies eos in captiuitatem rediget. Spoliati ſunt Palæſtini à Babyloniis, nunc in vindictam prædicit Habacuk ſpoliandos eos à Perſis & Medis. Demum & illi rurſus Darij alterius tempore, cùm in poteſtatem Alexandri Macedonis tranſiiſſent, omnes facultates amiſerũt. Rurſus & Græci & Macedones, qui aliena conquirebant, à Romanis ſpoliati ſunt. Romani à Germanis, & nunc Græcia, & maxima pars Germaniæ quid aliud expectat, quàm vt à Turcis aut aliis ſpolietur? Adeò periculoſum eſt ex aliorum damnis ſua comparare commoda. In his enim Deus ſe iuſtum eſſe iudicem oſtendit, dum etſi non tam citò, ſat tamen opportunè, raptores illos, qui alienis pennis gloriabantur, in ignominiam adducet. Hoc autem maximè in eos cadet, qui cõtra Chriſti Eccleſiam graſſantur, & ex eius detrimento, tanquam ex fæce & ſtercore ſuã gloriam redimunt. Vnde adiicit, id euenturum, ceu Babyloniis, ceu inimicis Eccleſiæ Chriſti, tyrannis, hæreticis, Barbaris, & ſchiſmaticis, *propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Iuſtè quidem propter effuſum ſanguinem Prophetarum, & maximè Chriſti ſui iratus eſt Deus. Expoſcetur, ait Chriſtus, à vobis, *Matt. 23.* omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine

guine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ Prophetæ Domini. Quis autem ille homo eſt, cuius ſanguinem expoſtulat Deus? Abelis quidem ſanguis clamat ad Deum de terra: quin & ſunt qui ſub altare aureum clament, Vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt. Verùm quomodo illi vnus homo dicuntur, niſi quia quæ membris inferuntur, eadem caput noſtrum Chriſtus ſibi imputat? Cur me perſequeris, inquit Saulo, cùm tamen fidèles ſuos perſequeretur. Sed & ait: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Itaque etſi plures ex fidelibus occiſi ſunt, ad vnum tamē hominem Chriſtum Ieſum hæc iniuria & contumelia reuocatur. Adde quòd vniuerſus Iſraël exurrexit tanquam vnus vir: ex quo fit, vt qui illius populi ſanguinem effudiſſet, tanquā in vnum virum peccaſſe diceretur. Itaque ſi quis requirat, quare Deus permiſerit Babylonios à Medis & Perſis ſpoliari, ſtatim audiet id factum propter ſanguinem effuſum vnius Iſraëlis. Poſuerunt enim morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli. Effuderunt ſanguinem eorum, tāquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret.

Geñ. 3. *Apoc. 6.* *Act. 9.*

Id etiam cōtigit *propter iniquitatem terræ ciuitatis*, id eſt, mala & ſcelera quæ perpetrarūt in terra promiſſionis, cuius tā electa ciuitas erat Hieruſalem, ciuitas inquam ſancti: quæque pertulerunt *omnes habitantes in ea* terra. Quis enim non expertus eſt Chaldæorum furo-

Lyra & Gloſa.

rem? Adeò terræ, & ciuitatis meminit, quam Deus haberet commendatiſſimam. Magnas enim comminationes iis propoſuerat, qui loca illa ſancta, & penitiora adyta prophanaſ-
Iſai.26. ſent. Vnde & alibi ait: In terra ſanctorum iniqua egit, & non videbit gloriam Domini. Nā ſi lex ea inter omnes homines poſita eſt, vt qui alicuius ſanguinē effuderit, effundatur & ſanguis eius: quāto magis ſi quis fideliū Chriſti necē attentarit? Sanguis ipſe, oppreſſiones, & iniquitates contra Dei populum commiſſæ vindictam clamant. Auditur cœlo clamor, & Deus tempore opportuno paratur ad vindictam.

Theophilactus latiùs hæc diſcutit, vt regni Sathanici euerſionē colligat. Spoliarat Sathā homines: illi nunc gratia Chriſti muniti, immò Chriſtus Ieſus per eos ſpolia ampla reportat. Hic enim eſt, qui vniuerſa vaſa eius diripuit, & ſpolia diſtribuit. Hic Angelus eſt magni cōſilij, qui illū in abyſſum demiſit & occluſit. Spoliatus eſt etiam per Apoſtolos, qui cùm & ipſi Iſraëlitæ eſſent, reliquos ex Iſraël & Gentibus ad ſalutem prædeſtinatos, è iugo Sathanæ liberarunt.

Rurſus verò in locum communem procedit Propheta, vt ex vnius Nabuchodonozor & Babylonici imperij exemplo, cæteri cautiores fiant, nec quid in alterius detrimentum attentent. Ait enim. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali*. Alludit ad eas

aues, quæ in excelſo nidos collocant, ne fortè pulli poſſint intercipi: fit tamen nonnunquam, vt diſcutiatur iile nidus, ſi quis ventus perflarit: & magis prædacibus volucribus pateat. Tum ſcilicet maximè fallitur auis, cùm propter nidi altitudinem minimè liberet, quin potius prædæ ſuos pullos ſubiiciat. Ad eius inſtar eos ſtatuit, qui magnas & diuites familias ſibi conquirunt, quaſi ſe hinc ab omni aduerſitate erepturi. Quid verò ſi aquila, ſi miluus, ſi cæteræ volucres rapaciores ſuperuolarint? Quid ſi potentior aliquis occurrerit? Nullus eſt nidus, quem non ille penetret, qui & authoritate, & potentia ſublimior eſt. Quid ergo faciat? Quòd ſi deiiciatur nidus, in momento diſſoluetur, pulli verò tanto maiore erunt in periculo, quanto ſublimiore loco priùs ſiti fuerãt. Adde quòd maiorẽ prouocat inuidiam, qui altũ dignitatis aut diuitiarum gradum contendit. Hinc fit, vt malè parta malè dilabãtur. Vocat autem *auaritiam malam domui ſuæ:* cùm interim hãc ſuis profuturam arbitretur auarus. Quis enim eſt eorum, qui non firmiorem domum ſibi conſtituere ſperet, cùm aliena conquiſierit? Num ſcilicet adiicit, *vt ſit in excelſo nidus eius*? Quid ergo malum hîc dicitur, quod intentioni hominis auari ſuccedit? At verò *malum domui ſuæ* dicit, habita non præſentium, ſed futurorum ratione. Nam etſi in momento efferri videatur, non tamen *liberatur de manu mali*. Quod enim videmus illo- 1

rũ diuitũ filios luxu & otio diffluere, cùm nec laborare didicerint, nec vllis artibus animũ adiunxerint. Quot ludis & alea ſua profundunt? Vbi verò ſua decoxerint, nouis artibus, rapinis & dolis animũ adiiciunt. Sunt enim
2 qui adinſtar Catilinę, vbi ſua profuderint laſciuiis & ludis, nihil ſibi grauius paupertate
Saluſtius. cenſentes, cum publicæ rei detrimento, nouas factiones excitant, coniurãt in principes & populum, pacem publicã interturbant. Vident illi rem ſibi anguſtam eſſe domi, & tamẽ volunt videri & apparere præ cæteris, magna etiam famulorũ turba ſtipari. His ſumptibus vt ſatisfaciant, bella ſuſcitant, viatores ſpoliant, merces intercipiunt: idq́ue vnum tantorum facinorum velamen habent, quòd indignũ ſit hominem nobilẽ egere, mechanicos verò pecuniis abundare. Ita malè parta à parentibus, malè diſſipant, & vt opera Catilinæ ſectãtur, ita & eundem cũ eo ſibi exitum parant. Quàm ſatius foret parẽtibus paucis cõtentos fuiſſe: ne dum multa conquirunt filiis, inertiam, ſuperbiam, & omne licentiæ deprauatæ genus illis ſuppeditent? Nam cùm Chriſtus nos prohibeat ſollicitos eſſe de craſtino, quomodo non vanam hanc auaritiam parentum condamnat? Porrò magnum quidem *malum* eſt, ſi auarorum filij in extremã transeant egeſtatem: ſummum verò, ſi compellente egeſtate indigna facinora aggrediãtur, ex quibus iuſtam ſibi mortis ignominioſæ ſententiam præparent. Prius quidem ſic exprimit

Salomon. Eſt infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima: generauit filium qui in ſumma egeſtate erit. Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Quid ergo prodeſt ei quòd laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedet in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia. Miſerabilis prorſus infirmitas: quomodo venit, ſic reuertetur. Sed & quid miſerabilius eſt, quàm vt his malè partis, ipſi parentes ſuſpendendis filiis funem contexuiſſe, aut truncandis enſem paraſſe dicantur? Quàm ſatius igitur eſt, patres theſaurizare filiis, Dei timorem, humilitatem & iuſtum laborem manuum ſuarum? Nam è timore Domini pendent diuitiæ. Beatus vir qui timet Dominum: Potens in terra erit ſemen eius. Gloria & diuitiæ in domo eius. Hic timor & parētibus & filiis proderit in ſalutē: at verò malè partæ diuitiæ vtriſque cedunt in condemnationem. Nam ſi *manum mali*, ad tremendum hoc iudicium trāsferamus, quod mortem cuiuſque conſequitur: quomodo illi *liberari ſe putant?* An pretio, quòd pecuniis abundent? Sed diues cùm tranſierit, non ſumet omnia, neque tranſibit gloria domus eius. An terrore ſuæ dignitatis? Sed Rex eſt hodie, & cras moritur. An ſeruorum multitudine? Atqui nullam hæc omnia vim habēt apud iuſtum iudicem. Non terretur qui ter-

Eccle. 5.

ret omnes: non corrumpitur precio, à quo ſunt omnes diuitiæ: non mouetur multitudine, qui in momento perdere poteſt omnes aduerſarios ſuos. Verùm hîc nuda erunt & aperta omnia: Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum arguet: ſed in veritate & iuſtitia. Quomodo ergo liberabuntur è malo pœnæ? Num clamant, Iactantia diuitiarum noſtrarum quid profuit nobis? Et ecce hæc omnia tanquam fumus euanuerunt. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ*. Omnes tuas cogitationes deuouiſti, non Dei cultui, non pauperum leuamini, non pietati, & timori: ſed cònquirendis per fas & nefas trãſitoriis bonis, & eleuandis filiis tuis. Ita tu quidem diuitias & filios tuos Deo prætuliſti. Ita idololatriam commiſiſti, omnium infœliciſſime, qui malueris damnationem incurrere, quàm ne minimam quidem tuarum cogitationum à pecuniis, & filiorum magnitudine, ad animæ tuæ ſolicitudinem auocare. Hæc autem cogitatio quid aliud eſt quàm *confuſio domui tuæ*? Niſi Dominus ædificarit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Domus enim tua ſuper arenã fundata eſt, venient torrẽtes, & illam in fruſta diſcutient. Quid enim aliud ædificantibus in campo Sennaar contigit, niſi confuſio? Hinc nimirùm Babel dicta eſt. Ita alludit Vates ad prius nomen, & reuocat Chaldæos ad illam primam confuſionem, vt intelligant, nihil ſuæ Reipubl. illos conſulere tot rapinis:

quin potius ſibi ignominiã præparare. *Concidiſti populos multos*. Hoc de Nabuchodonozor certum eſt. Auaros autem cõcidere quoſcunque poſſunt, & eorum bona in fruſta diſſecare, ſibiq́ue vendicare, non eſt dubium. Extorſiones autem illæ etiam conciſiones dicuntur apud Michæam. Conciderunt principes oſſa populi mei, velut in lebete, &c. *Peccauit anima tua*: nimia dominandi libido te decepit.

ORATIO.

1 QVem enim nõ adumbrata iſta bonorum cupiditas alliciat? quẽ nõ fallat, ſi ſemel allectus fuerit? cuius conſcientiam non excæcet, tãq́ue proteruã reddat, vt nihil non ſibi licere quod poſsit dolis & rapinis arbitretur? Hinc tot oppreſsiones, tot vſuræ & iniuſtitiæ emergunt, quòd ſua quiſque, non quæ tua ſunt, ô bone Deus, nõ quæ Regis, nõ quæ Reipublicę ſunt, aut proximi, quærit: ſic omnes ſuis commodis incumbunt, vt cætera quæ primùm attendenda ſunt, contemnant. At verò quàm ſapientior iſta vox filij tui eſt, Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia adiicientur vobis?

2 Nam & tu iuſtus es, & nidum in excelſo poſitum facilè diſcutis, & idem rependis omnibus quod ſeminauerint: vt qui prædatus fuerit, prædæ etiã pateat, & qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatẽ quoque ducatur.

3 Quid euenit Iſraëli ob iniuſtitias? Quid Babyloniis, Perſis, Macedonibus, Græcis,

Romanis? Atque vtinam nos illis exemplis ſapientiores euadamus, & idem iudicium, quo alios iudicauerimus, paremq́ue noſtris operibus mercedem expectemus.

4 Tua gratia id efficiat in nobis, ô Deus, vt apprehendamus quæ futura ſunt, & inde cautiores euadamus. Idem alteri faciamus, quod tu ipſe nobis remetiaris. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XIII.

Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorũ eſt, reſpondebit. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbẽ in iniquitate. Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & Gentes in vacuum, & deficient: quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare. Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians: vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & conſopire. Circundabit te calix dextræ Domini: & vomitus ignominiæ ſuper gloriã tuã. Quia iniquitas Libani operiet te, et vaſtitas animaliũ deterrebit eos: de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ et ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

NEmo condemnatur, niſi præſto ſint qui eũ accuſent: neque etiã conſuetudo eſt Rom. aliquem damnare, niſi priùs audiatur, & reſpondendi tẽpus habeat. Quã verò iuſtiora ſunt diuina iudicia? Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius. Hanc eius iuſtitiam multis argumẽtis confirmat Propheta. Præmiſit Dei in homines propenſionem, cùm legem eis dederit, cùm eos per fidem iuſtificet, cùm & eorum Deus dici velit. At verò qui hac eius liberalitate abutuntur, quomodo non argui debeãt? Adiecit verò non Iſraëlis modò, ſed Babyloniorum & auarorum omnium ſcelera: vt qui iudicium peruerterent, lites ſuſcitarent, innocentes opprimerent, aliena concupiſcerẽt & raperent, & ambitioſa dominandi libidine ducerentur. Et ne quos accuſatores tãtorum ſcelerum deeſſe putemus, nõ modò illorum, & omnium oppreſſorum cõſcientiam, ſed & mutarum creaturarum teſtimonium appellat. *Lapis*, inquit, *de pariete clamabit*. Hoc ad emphaſim dictũ eſt, vt & iſtud à Chriſto: Si hi tacuerint, lapides clamabunt. Potens enim eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Clamat effuſus ſanguis, clamant habitatores vrbis, clamat & lapis ex pariete. Hoc autem ita dictum eſt, quòd & ipſi lapides palatij Nabuchodonozor, ipſa etiam ligna exquiſita, cùm viderentur, aſpicientibus teſtabantur quam prædam ille in Palæſtina egiſſet: quòd

eſſent illa è templo Salomonis, aut alijs principibus domibus in Babylonem tranſlata. Nã qui marmora, lapillos, & mira operis Moſaici tabulata, qui etiam ligna Cethim, qui columnas, baſes, capitella inſpexiſſet: ſtatim & hæc & illa è Palæſtina tranſlata aſſerebat. Nimirùm & ipſæ materiæ, & opera domus Domini, domus item regiæ Libani digna erant ſumma apud Principes commendatione. Nã prçter aurum, argentum, lapides precioſos, çs & ſtannum, lapides grandes erant & precioſi
3. Reg. 5. quadrati in fundamẽtum templi: quòd ſi precioſi lapides in fundamento erant, nõ dubiũ quin & cæteri conſequerentur. Adde quòd octoginta millia deſtinarat Salomon, qui la-
2. Par. 3. pides de montibus cæderent. Ligna verò ab Hiram poſtulauerat, magni vtique precij, ligna cedrina, abiegna, ligna Cethim imputribilia, ligna oliuarum ad oſtia componenda. Mirabilis altitudo tabulatorũ, quin & trabes miræ longitudinis erant. Ædificarat & Salomon domum ſaltus Libani centum cubitorũ longitudinis, & quinquaginta cubitorũ latitudinis, & triginta cubitorũ altitudinis. Hîc quatuor ordines erãt columnarũ cedrinarũ, quiſque verò habebat colũnas quindecim: ſic erant ſexaginta. Quanta cedrorũ copia ad camerã, ad pauimẽtũ, & porticũ? Quin & muri lapidibus precioſis extructi erãt: fundamẽta verò lapides magnos habebãt decẽ ſiue octo cubitorũ. Omnia autẽ hæc miro artificio conſtructa fuiſſe, cõijcitur: cùm Salomon ab Hi-

ram rege Tyri virum eruditũ in his operibus poſtularit, ille verò petitioni obtemperarit, & quẽ potuerit induſtrium maximè miſerit. Itaque cùm Nabuchodonozor inſignem ſibi domum in Babylone conſtructurus eſſet, nõ dubium, quin diruto Domini templo, & ſolo æquatis Regis & Principum palatijs, curarit tranſuehendas has materias, quibus domum illam ſuam extrueret, & illuſtraret. At verò tantum abeſt, vt hinc ille gloriã conquiſierit, & nidũ habitationis ſuæ illuſtrarit: quin potius ſibi ſuiſque infamiam conſciuit, cùm ipſi lapides & ligna eius rapinas, demolitiones, & tyrannides teſtarentur. *Lignum enim quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit lapidi exclamãti.* Sed & ſi quis interroget, quorumnam impenſis & ſumptibus hæc conſtructa ſit, dicẽt hæc ex ruinis templi Domini profecta eſſe. Hæc verò accuſatio quàm vulgaris eſt cõtra eos, qui ſibi caſtra, palatia, & inſignes domos conſtituunt! Si quid enim in ſubditorum domibus inſigne ſit, ſibi vẽdicant: neque etiam Deo ſacratis locis parcunt, ſi quid ſit marmoris, ſi qua columna, baſis, ſi quid deniq; quod in ſuos vſus aptare poſſint. Atqui contra eos clamabunt hæc omnia. Hoc loquendi modo Iacobus vtitur contra diuites. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimẽta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurũ & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit. Et rurſus. Ecce merces o- *Iac. 5.*

perariorum,qui meſſuerunt regiones veſtras, quę à vobis fraudata eſt,clamat:& clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.

Et quidem diruta templa, effoſſa ſepulcra, tot occiſi ab hęreticis catholici,num illorum impietati teſtimonium ferunt, & contra eos in poſterum clamabunt?Nam quicunque tãdem tot ruinas intuebitur, num exclamabit, O furorem,ô rabiem, ô impietatem?Nũ Deũ vindicem agnoſcet,qui diu tot ſcelera impunita minimè paſſurus ſit?Hi ſunt nimirùm illius Babylonicæ Eccleſiæ,& Euangelij noui fructus:contra quos & cęlũ & terra clamant. Nam & vniuerſus orbis armabit ſe aduerſus inſenſatos. *Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus,& præparat vrbem in iniquitate.* Quid enim ſibi acquirit,niſi maledictionem? Nam ſi vni' Abelis ſanguis clamat de terra, quid tot hominum clades?Adeò miſerum eſt vi armorũ ſibi dominiũ comparare. Et tamen quot ſunt inter nobiles,qui id magni ducant,& dicant: Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ? Qui flocci pendant mortem plurimorũ hominum, cùm nec ipſi mortuum vnum excitare poſſint?Facit & hoc ad eos compeſcendos,qui mortem aliorum procurant, vt eorum bonis frui poſſint. Sic quod domui, nunc ciuitati & vrbi accommodat. Quid enim magis à natura alienum,quàm ſi vnum aut alterum facias?Benedictione enim florent imperia,regna,ciuitates, domus. Benedictus eris in agro, in ciuitate,in vrbe,inquit Dominus. Quid ſi ſuc-

cedat maledictio? Et quomodo non omnia maledicta ſunt, quæ à ſanguinis effuſione, ab impietate, & ſceleribus ducuntur? Si quis per alterius necem ſibi magnam domum conflarit, ſi mortem etiam tantùm deſiderarit, nihil ei in poſterum tutum eſſe video. Ná & Giezi cùm munera accepiſſet à Naaman, hanc maledictionem pertulit, vt lepra Naaman adhęreret ei & ſemini eius. Nec defecit dę ſemine Ioab ſanguinem emittens, ea maximè ratione, quòd ille Abner & Amaſæ ſanguinem fudiſſet. *Væ* igitur illis, qui non modò exſpoliјs, ſed & cæde hominum ſibi magnas domos aut ciuitates ædificant.

Prouerb. 22. Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. Non facias violentiã pauperi, quia pauper eſt: neque cõteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius. Proue. 28. Vir qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei. Quanto magis illum miſeriæ cumulabunt, qui rapinis & cædibus magnam ſibi domum ædificat? *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum?* Num ille ſuam in his manifeſtam prouidẽtiam reddet, vt qui certo tẽpore tot clades & rapinas vindicaturus ſit? Derident quidem illum impij, & ſibi perſuadent, aut quòd facilè condonaturus ſit ſcelera, aut quòd eorum rationẽ non ſit habiturus: ſunt qui prouidentiam illius in quęſtionem vertant, quaſi res humanás deſpi-

ciat, cùm permittat iuſtos ab impijs tot perſecutiones ſuſtinere: ſed cũ clamauerit lapis & lignum contra eos, cũ maledictio & vindicta illis obuenerit, num quiſque prouidentiam illam fatebitur, & dicet: *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum?* Ignoratur enim, aut ſaltem latet huius prouidentiæ argumentum, in lõga illa diuini numinis patientia. Ex quo ſit, vt abſque timore vllo filij hominum perpetrent mala. Sed vexatio dabit intellectũ. Sic quippè & illi, qui in inferno poſiti ſunt, eius manum experti, perturbati timore horribili, mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, di-
Sap. 5. centes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorũ æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Quid enim cùm venerit ad iudicãdum Dominus? Num & ipſe pauperum ſuorum ſe protectorem & vindicẽ eſſe docebit? Cæterùm vaſtata Babylone, quiſque colligere potuit, cladem hanc & ruinam eueniſſe iuſtiſſimo Dei iudicio, propter direptas & ſanguine fœdatas à Nabuchodonozor & Chaldæis reliquas nationes. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuũ.* Cùm enim Per-
1 ſæ & Medi duce Dario, Babylone potiti fuerint, ignem immittent, & ædificia diruent: laborabunt autem multi, vt ignem illum extinguant, ſed in vanum. Idẽ illis continget, quod

ei qui ignem tranſuerberare, aut vomere ſulcare voluerit. Sed & ille labor tam multorũ hominum in extruendo Nabuchodonozor palatio quid aliud dicatur, quàm ignis? Laborauerunt in igne. Extruxerunt, ſed quæ tandem eſſent in cibum ignis, quæ breui conflagrarent: ſicque vana fuit illorum opera. *Et deficient* tandẽ Chaldæi ſuperati à Perſis & Medis. Quin & hic qui ex alienis ſibi nidum extruit, num in igne laborare dicetur? Num in vanũ? Nec enim diu hęc perſeuerare poſſunt, quę ſanguine pauperum madeſcunt. Par operi merces, vt qui igne combuſſit aliena, etiam ab igne ſua exurantur. Num etiã Valẽs, quòd igni ſacerdotes Dei deuouiſſet, ipſe etiam in caſa diuino iudicio crematus eſt? Magnam autem comminationem habet quod adijcit, *Et deficient*. Nam non modò ædificiorum, aut diuitiarum, ſed ipſius etiam familiæ auari, aut regni tyrannici ruinam prænunciat. *Quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare*. Chald. habet, Ecce. Magna enim illa Babyloniæ ſtrages faciet, vt & ipſi Babylonij gloriam Dei Iſraël confiteãtur vel inuiti. Quod etiam Dario, qui & Aſſuerus dicitur, regnante contigit. Aman enim & filijs eius ſuſpẽſis, & inimicis Iudæorũ profligatis, gloria Domini maior illuxit. Adeò vt & Aſſuerus, & ipſe etiam Cyrus Deum Iſraëlis cõfeſſi ſint. Tum autem præſagiebantur vocandæ demum Gentes ad Chriſti Euangelium, vt repleretur terra gloria eius. Vtitur autem

ſimilitudine, qua Dei gloriam amplificat. Quid enim latius mari? Quid & his aquis, quæ mare operiunt, terribilius eſt? Atqui & latior erit gloria Domini, quæ omnes omnium terrarum fines ambiat. Hac etiam aquarum metaphora diuina gloria apud Ezechielem & Ioannem in Apocalypſi, quin & Spiritus ſancti adinſtar fluentis lympidiſſimi deſcribitur. Sic cognoſcetur Dominus iudicia faciens, non modò cùm Nabuchodonozor, ſed & cùm Sathanam & principes tenebrarum deuicerit. Prædicit enim venturam etiam per Chriſtum ſuper vniuerſum orbem cognitionem Dei, ait Theophilactus, itidem vt ipſe Dominus ad patrem inquit, Manifeſtaui nomen tuum hominibus. Priùs enim ſolis Hebræis cognitus erat. Porrò Domin⁹ ipſe in ſcripturis fluuius dictus eſt, immò & torrens appellatur, vt eo in loco: Ecce ego ſuper illos affluam vt fluuius, & quaſi torrens inundans gloriam gentium. Aquæ quidem alueū & fundum maris contegunt: gloria verò Domini vniuerſa complebit. Nec fundus ille regni Babylonici, aut humanæ impietatis apparebit. ſiquidem deiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra: & quantum diſtat ortus ab occidente, longè faciet à nobis iniquitates noſtras. Profundum cor hominis, & inſcrutabile: ſed inundationes & illi diuinæ gratiæ & gloriæ fluctus, eius infirmitatem orient.

Pſal. 9. *Eſa. 66.* *Gloſ. int.* *Nic. de Ly*

Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & ine-

inebrians: vt aſpiciat nuditatem eius. Adhuc inuehitur contra Nabuchodonozor, inquit Gloſa, quòd oblitus ſe eſſe hominem, alteri homini fel, & amaritudinem propinauit. Cùm enim Sedechiam Regem in Reblatha excæcaſſet, & vinctum in Babylonem duxiſſet, quidam Hebræorum aſſerit, quadam die, in celebri conuiuio iuſſiſſe rurſus illi potionem porrigi, qua in fluxum ventris etiam coram epulātibus ſubitò ſolutus eſt. Nimirùm *Hamath* dictio, non modò poculum aut calicem, ſed & potionem venenatam ſignificat. Dicitur autē *fel* admixtum, aut quia è corde fellæo tale factum procedebat: aut ab effectu, quòd Sedechiā ad mortis amaritudinē deduxerit. Quāta verò fuit hæc crudelitas in Regem & vnctum Domini? Quis enim, ſi quid humanitatis habet, patiatur inimicum iā captiuum hæc væſana ludibria perpeti? An non potiùs *amicus* eſſe debuit, eiuſdem conditionis & dignitatis homo? Quàm ſapientiùs Cyrus tandem à Crœſo edoctus eſt? Cùm enim ille Crœſum pyræ exponi iuſſiſſet, ſtatim atque ſæpius illum Solonem inclamantem audiſſet, interrogans quid iſtud eſſet, & audiens hoc Doctrinæ ad Crœſum Solonis fuiſſe, vt recordaretur quòd homo eſt maxima quædam miſeria: & Crœſum ſupplicio abſoluit, & illi regēdas prouincias commiſit, quòd in Crœſo calamitatem, quā ipſe timeret, intueretur. Quàm igitur Chriſtianè Paulus ſcribit, Si eſurit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: &

Gloſ. ord. & Lyran.

Lyran.

Herodot.

carbones ignis congeres ſuper caput eius.

Cæterùm latiùs hæc ſententia protenditur aut ad eos, qui vt inimicos decipiāt, potu & menſa illis inſidiantur: aut ad eos, qui habēt quidem amicos, ſed quibus vt adulatoribus, ſcurris & ganeonibus vtantur, in laſciuijs & ebrietatibus: quos rideant, & in omnium ludibrium excitent. Atqui longè à diuina charitatis regula recedit hęc amicitia. Porrigitur & ad hęreticos, qui vino ſeu calici ſacræ ſcripturæ, abſynthium praui ſenſus immiſcent.
Glosſ. Sed & omnibus his *Væ* prædicitur. *Repletus eſt* Sedechias, aut quiſque quem impius felle illo potauerit, *ignominia pro gloria*. Nam ſi Sedechiam ſpectes, num gloria donari debebat, quantumuis captiuus, cùm diuina largiente gratia regium honorem aſſecutus eſſet? Hinc nimirùm factū eſt, vt Nabuchodonozor, forſan de porrecto poculo pœnitens, mortuum
Hier. 34. Sedechiam honorificè ſepelierit. Quid autē qui amicitiæ nomine abutitur ad ſordes, ebrietates & riſus, aliud ſibi ſuiſque quā ignominiam parat? Idem etiam ab hæreticis contingit. Hinc & illa eſt per Prophetam diuina ſententia. *Bibe tu quoque, & conſopire.* Bibit Nabuchodonozor calicem furoris iræ Dei, & in ſoporem amentiæ conuerſus, ſeſe hominem eſſe oblit⁹ eſt. Ergo tu, qui alteri exitiū paras & riſū, idē expecta: tibi enim propinatur hic calix, vt tu demum & eum exhaurias. Sic Dauid, Foderunt, inquit, foueam animæ meæ, & inciderunt in eam. *Circundabit te calix dex-*

træ Domini,id eſt,vindicta potentię eius. Nam calix furoris Domini in Apocalypſi nuncupatur: & *vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Nam quemadmodum multo vino repletis cõtingit,vt magna cum ignominia egerãt cum vino cibos etiam quos ſumpſerint, ita prædicit Nabuchodonozor euenturum,vt congeſtas opes,dignitates,& regna,quibus velut ebrius huc illucq́ue inſolens agitabatur, euomat magna cum ignominia. Quod quidem euenit,cũ & ijs priuatus, & à populo eiectus eſt Hæc in omnes auaros, in tyrannos, & raptores quoſque ventura eſt calamitas. Inſatiabiles ſunt, & velut ebrij huc illucq́ue varijs concupiſcentijs iactantur: ſed quanta illis ignominia coram Deo & Angelis eius ſuccedet, cùm hæc euomuerint? Nec enim plura quàm quiuis pauper ſecum ferent,hoc tantũ dempto,quòd ignominia & condemnatio illos conſequetur. Hæc enim *gloria* eorum cõfuſio,& Sathanicorum etiam ſpirituum ludibrium, cùm de ſublimi huius mundi gloria ad extremam ignominiam tranſierint.

Quia iniquitas Libani operiet te: impietas illa nimirùm te ſubmerget ô Nabuchodonozor, quam non in ligna tantùm, ſed in Libanum commiſiſti; cùm tot eius cedri in templum Dei & domos regias aptatæ eſſent. Has autem aut concremaſti,aut tranſtuliſti. *Et vaſtitas animalium deterrebit*: cùm & impietas illa tua contra ſacrificia quæ ex animalibus fiebant, vindictam à te tuiſq́ue requiret.

Quid enim pernicioſius eſſe poteſt, quàm in loca ſacra, in ipſum etiam ſacrificium, id eſt cultum Dei temerariũ eſſe? Hoc ſi ſic vindicauit Deus ſub lege, ob contumeliam typicis victimis illatam: quanto putamus deteriora mereri ſupplicia, qui Chriſti ſacratiſſimum corpus deluſerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? Quid expectare debent, qui altaria demoliuntur, & ſacram leiturgiam explodunt? Expectandi verò terribilis in impios iudicij cauſam reddit, eandem quam in ſuperioribus. Euenturi nimirùm pro *ſanguinibus hominis*, id eſt, ob effuſum ſanguinẽ Iſraëlis, aut ipſius Chriſti, ceu in perſona, ceu membris eius: & *pro iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* id eſt, propter ſcelera commiſſa in terra Palæſtinæ, in ciuitate Hieroſolyma, & contra illius accolas. Quid etiam dubium, magna timenda eſſe ijs ſupplicia, qui Chriſti Eccleſiam perturbant, & eius membra opprimunt: ceu hi ſint hæretici, ceu Barbari?

ORATIO.

1. QVid ergo non timere debeant, qui ſacras ædes funditùs diruerunt, aras demoliti ſunt, vaſa aurea & argentea diripuerunt, & tanta cum blaſphemia Chriſti ſacramenta deluſerunt?

2. Clamat paries de pariete, lignum quod inter iuncturas eſt, reſpondet ei. Et teſtatur illorum furores & rapinas, qui ſuam, id eſt, malignantium Eccleſiam in ſanguinibus & ini-

quitate ædificant.

3. Quanta maledictio Cham obuenit,qui patrem deluſit? Quanta illis ſuccedet, qui tot Eccleſiæ antiquiſſimos & ſanctiſſimos patres deludũt?Qui eos,quos pro amicis agnoſcere debuerant,inebriare contendunt, & felle ſuorum opprobriorum aſpergunt?

4. Atqui tu, qui iuſtè iudicas omnia, hanc maledicentiam & improperium in eorum caput remittes, vt in rete cadant quod extenderunt.

5. Fac igitur vt quiſque nuditatem eorum videat & conſideret, quàm paucis rationibus nitantur, quàm prauo etiam animo ferantur in Eccleſiam tuam: vt repleatur terra, & cognoſcant omnes gloriam Domini,quaſi aquę operientes mare. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XIIII.

Quid prodeſt ſculptile,quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile,& imaginem falſam? Quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta? Væ, qui dicit ligno, expergiſcere: ſurge, lapidi tacenti. Nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte opertus eſt auro & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat à facie eius omnis terra.

NEmo fictis mœnibus aut armis contra hoſtem confidit:ne dum adumbratis illis nititur, ab irruente inimico in inſtanti opprimatur. Vera ſint mœnia,vera ſint arma neceſſe eſt,vbi non fictum, ſed verum prelium expectatur. Quàm ergo ſtultior illorum hominum conditio eſt, qui cùm ſe diuinæ iracundiæ flagellis vrgeri,tentationibus etiã premi ſentiant,nõ ad verum & ſummũ illud numen confugiant, illud in Petrã & domũ refugij ſeligant:ſed aut confidant in multitudine diuitiarũ ſuarũ,aut in ſubtilitate animi,aut amicis, aut cæteris huius generis, quæ mutationi ſunt obnoxia?Similes vtique ſunt Chaldæis,quos Habacuk ſcribit ſculptilia,conflatilia,&imagines falſas pro dijs habuiſſe:in ligno aut lapide ſpẽ ſuã collocaſſe, non autẽ Deũ illũ ſummum agnouiſſe, qui cœlũ terrãque repleat. Quam enim opẽ illa afflictis afferre potuerũt,muta, & inſenſibilia?Ex his igitur duo cõcludit. Vanã quidem Chaldæorũ fiduciam,quæ nec eos à malis imminẽtibus eripere valeat:& ſecurã tutãque Iſraëlis expectationẽ,vt quę in vno ſupremo numine repoſita ſit. Ex quo efficiatur, vt Chaldęi Medis & Perſis ſuccumbãt: Iſraëlitę verò tãdem libertate donati,ex Babylone in Palæſtinam remigraturi,& tẽplum vrbẽque reędificaturi ſint.

Primùm verò Chaldæos illudit,qui tã inſolenter de dijs ſuis aureis & argẽteis gloriabãtur,quaſi illorũ numine tuta viderentur oĩa.

Atqui,inquit,quam illa virtutem habent, vt vos ab imminentibus malis tueantur,quæ omni vitæ ſpiritu deſtituuntur? Immò quæ falſa ſunt,& præter inane nomen,ceu ſpeciem apparētem nuſpiam extant? *Quid*,inquit, *prodeſt ſculptile,quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* Nam ſi quid hoc virtutis habet,aut illud à forma aſſequitur, aut à materia,aut ab opifice. Non à materia, cũ ſit lignũ, lapis,aurũ, aut argentũ. Quã enim illa virtutē aut ſenſum habent,vt orantes audiant,miſeros iuuent, & afflictis auxilientur? Sed neque à forma. Poteſt enim fieri, vt imago aliqua vim habeat à prototypo, & ad illum relata,non iam vt nuda materia conſideretur, ſed nos rapiat in ea quæ ſunt digna veneratione & honore. Sic Tertullianus Chriſti crucē ab idolis Gentium diſtinxit. Cùm lignum aliquod propitiatur,inquit, viderit habitus, cũ materiæ qualitas eadem ſit: viderit forma, dũ idipſum Dei corpus ſit. Et tamen quanto diſtinguitur à crucis ſtipite Pallas Attica: & Ceres farrea, quæ ſine effigie rudi palo, & informi ligno proſtat? *Lib. Apol. c. 16.*

Idolum enim nihil eſt in mundo, vt definit Paulus: hoc enim rei eſt, quæ nuſpiam extat. quod & Habacuk vocat, *Peſel vmodeh ſaker*, id eſt,ſculptile,& quod docet mendacium. Septuaginta verò tranſtulerunt φαντασίαν ψευδῆ, imaginationē mēdacē. Hoc ſcilicet in idolis Gentiũ conſidera. Nã illa ceu Martis, ceu Veneris,ceu Iouis,Saturni,aut aliorũ nomine

donarentur, requirendum erit quis Iupiter, Saturnus, Mars, & num illa à Poëtis confičta, & ab ijs inuenta numina fuerint, qui religionis vmbrâ continendum populum eſſe ſtatuebant. Adijcit etiam, *quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta.* Hebraica dictio eſt, *Elilim illemim.* quod etiam Septuag. vertunt, εἴδωλα κωφὰ, idola muta. Nam tametſi pictura recepta muta ſit, in ratione materiæ, ſi tamen formam ſpectes, & ea quæ præ ſe fert attendas, eadem etiam proloqui videtur, & enarrare quæ geſta ſunt, adeò vt iam non illam mutam eſſe ſentias. Vt ſi quis Abrahæ ſacrificium, aut Ioſeph venditionem & triumphum, aut Moſis acta, aut Dauidis, depicta intueatur attentiùs, ipſa illum pictura docebit, quid, quibus præſentibus, quo

Lib. 9. Ep. 9. ad Sere. Maßilienſem Epiſc.

loco, quibuſque circunſtantijs hęc facta ſint. Eapropter enim D. Gregorius hiſtorias Euãgelicas in Eccleſijs depingi ſcribit, vt qui ſacros libros legere nequeunt, conſpectis illis, reducerent in memoriam, quæ in carne con-

Lib. 7. Epiſt. 107.

uerſatio Domini noſtri Ieſu Chriſti fuiſſet. Idem etiam ad Serenum ſcribens, vbi nonnulla ſcripturæ exempla & teſtimonia protulit, illud etiam ex Gregorio Nyſſeno ſubiecit. Vidi (inquit ille, de Patriarcha Abrahã ſermonẽ faciens) non infrequenter paſſionis figurã, neq; ſine lachrymis eiuſcemodi picturã trãſij, cũ ſcilicet opus artificij in perſonã ſignificatã demonſtratũ eſſe viderẽ. Itaque nec imago illa falſa, nec muta eſt, quæ nos docet,

& commonet de his quæ facta ſunt aut à Patriarchis, aut Prophetis, aut ab ipſo Chriſto, aut Apoſtolis, aut his qui piè & ſanctè vixerunt in hoc ſeculo, & nunc beata requie perfruuntur. Tales ſunt imagines Chriſtianorum, quæ non modò rudes & ſimplices, ſed vt ipſum Gregorium Nyſſenum virum doctiſſimum, ita quemque peritiorem, ſi modò pietate ducatur, excitare poſſint. Atqui longè aliter putandum eſt de idolis Gentium. Nam *docet mendacium*, inquit Habacuk, illudq́ue exprimunt, quod nuſpiam fuit aut erit, ſed à principe mendacij Sathana adinuẽtum fuit, vt homines ab vnius Dei cultu auocaret. Quando enim & vbi legimus Martem, Venerem, Vulcanum illum claudum, Momum, cæteraq́ue Deorum extitiſſe portenta? Atqui ſiquis nos interroget de imaginibus in Eccleſia receptis, quales ſunt, Chriſti, ſacratiſsimæ Virginis, Petri & Pauli, cæterorumq́ue ſanctorum, quid illæ ſignificent: nos ſtatim non mendacem aliquam fantaſiam ceu imaginationem proferemus, ſed id quod verè fuit, quod ipſæ ſacræ ſcripturæ, aut Eccleſiaſticæ & receptæ hiſtoriæ commonſtrant. Eademq́ue erit ceu ſcripturæ, ceu etiam picturæ demonſtratio, & explicatio. Atqui nõ modò idola Gentium, ſed & illa omnia, quæ de ipſis aut Numa Pompilius, aut Poëtę confinxerunt & ſcripſerunt, aut dixerunt, ab authore mendacij profecta ſunt. Ne quis igitur idola illa cum imaginibus noſtris conferat:

nec enim conuentio eſt mendacij ad veritatem. ſiquidem illa mendacem fantaſiam præ ſe ferunt, imagines autē noſtræ id quod verè fuit,& honore dignum eſt, ſignificant.

Inde fit, vt etſi non ex parte materiæ, aut opificis, noſtræ imagines nihil habeant virtutis, habeant tamen aliquando ex parte prototypi, id eſt illius rei quæ ſignificatur. Vt &illa Domini noſtri Ieſu Chriſti effigies,

Lib.7.Ec. hiſt.cap.14

cuius Euſebius Cæſarienſis meminit, quam in Cæſarea Philippi, mulier è ſanguinis pro-

Matth.9. Marc. 5. Luc. 8.

fluuio per Chriſtum liberata, vt tradit Euangelium, pro foribus domus ſuæ erexerat. Erat autem mulieris effigies ænea, genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis, in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocata. Huic è regione viri imago erecta erat, ex eadē materia conflata, veſtitu ad talos demiſſo decenter ornata, & manum mulieri porrigens. Ad cuius pedes, in ipſa baſi peregrina quædam & inuſitata herbæ ſpecies enaſcebatur: quæ quidem vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuiſſet, morbis cuiuſque generis medicandi vim & facultatem habebat. Hanc ſtatuam, inquit Eu-

Niceph.li. 6.hiſt. Ec. cap.15.

ſebius, effigiem Ieſu exprimere dicūt: quam ad noſtram vſque ætatem manentem, ipſi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum eos, qui ex Gentilibus prognati, à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficiis affecti fuiſſent, iſta effeciſſe: cùm & nos Petri & Pauli Apoſtolorum,

&Chriſti etiam ipſius, imagines in picturis colorum varietate expreſſas, cõſeruataſque aſpeximus. Hæc Euſebij hiſtoria ſatis docet, non modò imaginũ vſum, ſed & virtutem quibuſdam inſitam, non tamen, vt diximus, ab ipſius materia aut opifice, ſed à prototypo. Hinc factum eſt, vt teſte Sozomeno, Iulianus Apoſtata, Chriſtiani nominis & gloriæ profligator, inuidens Chriſti ſtatuæ hanc herbę virtutem, eam deturbarit, ſuamque in eius loco poſuerit. At verò diuinum illud lumẽ, ſuo iudicio imaginem Chriſti longè ab idolo Iuliani ſecreuit. Hoc enim facto, ignis violentus de cœlo delapſus ſtatuam illam Iuliani circiter pectus perſecuit, caputque vnà cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulſa. Scilicet non ad idolum Iuliani, ſed ad Chriſtum ipſum, cuius effigies erecta priùs fuerat, illa herbæ virtus referenda erat. *Lib. 5 hiſt. Eccl. c. 20.*

Nunc autem ſecus de ſculptilibus, conflatilibus, ceu idolis Gentium exiſtimandum eſt. Vndenam ſcilicet à prototypo ſuam vim haberẽt, cùm ille nuſpiam extet? Si quid ergo habent ſpei reconditum, cùm nec ad materiam aut formam referri poſſit, ad opificis induſtriam erit referendum. At verò, inquit Habacuk, *quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus? cùm doceat mendacium, & ſit fantaſia falſa. An quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra ceu idola muta?* Por-

rò vos quanta tribuitis idolis veſtris? Quaſi potiora valeant quàm ipſi opifices, cùm tamen ab ipſis hoc quod ſunt, acceperint. Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Quod autem ab homine fit, numen eſſe non poteſt, nec ea ratione vires aliquas ſortitur. Hoc etiam argumē-
Eſai. 44. tum apud Eſaiam legimus. Quis formauit Deum, & ſculptile conflauit ad nihil vtile? Faber ferrarius lima operatus eſt, in prunis & in malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: eſuriet & deficiet, non bibet aquam, & laſſeſcet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in rũcina, fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud, & fecit imaginem viri, quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo. Sumpſit ex lignis, & calefactus eſt: medium enim ligni combuſsit igni, de medio eius carnes comedit, coxit pulmentum, & ſaturatus eſt: reliquum autem eius Deum fecit, & ſculptile ſibi. Curuatur ante illud, & adorat, & obſecrat, dicens, Libera me, quia Deus meus es tu. Pars eius cinis eſt: cor inſipiens adorabit illud, & non liberabit animam ſuam, neque dicet: Fortè mendacium eſt in dextera mea.

Atqui cùm nec ſimulacrũ ad prototypum aliquem extantem referatur, aut ſi fortè prototypus ceu res repręſentata per ſimulacrum aliquando extiterit, vt de Hercule, Iulio Cæſare aut aliis dici poteſt: nullam tamen vir-

tutem ab illa nanciſcitur, cùm nullius ſit ipſum virtutis quod ſignificatur: quomodo quis in idolum ſpem ſuam coniiciat? *Væ, qui dicit ligno, expergiſcere: & ſurge, lapidi tacenti.* Ita docet, non ad prototypum aliquem ceu rem ſignificatam vota idololatrarum perferri, ſed tantùm ad ipſam materiam, lignum ſcilicet aut lapidem. Atqui, vt

Hoc Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc recolas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Nec propter materiam, ſed propter memoriam & ſignificationem imagines accepimus. Et ſi quis illas veneratur, vt verè ſunt venerabiles, & ſupplicat coram eis: non ad lignũ, aut aurum, aut lapidem, aut aliam materiam ſua vota dirigit: ſed ad illum quem ſignificabunt, Chriſtum nimirùm, aut Apoſtolorum, aut Martyrum aliquẽ. Quis enim adeò ſtupidus eſt, qui dicat ligno, expergiſcere? Et non Chriſti imaginem ob oculos habens, mentem eleuet in ipſum Chriſtum, & dicat ipſi, non materiæ, ſed Chriſto quem fide apprehendit: Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum? De ligno & lapide, ceu idolo dicitur, Aures habent & non audient, nares habent & non odorabũt. At verò non idem de prototypo Chriſto dici poteſt, non de Apoſtolis, non de electis illis qui Deo perfruuntur.

Vanitas ergo maxima Babyloniorum fuit, qui materiæ mutæ & ſurdæ ſummum numẽ tribuerent: qui lapidem pro Deo ſumerent,

& inuocarēt. *Nunquid ipſe docere poterit?* An aliquis ſenſus ineſt lapidi, vt vos conſoletur, aut commoneat de his quæ agēda fuerint, cùm in vos Perſæ & Medi irruerint? *Ecce iſte* lapis *coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.* Deſcribitur error humanus, inquit Gloſa ordinaria, qui aurum. argentum, gemmas & ſericum, quibus oblita vel operta ſunt idola, pro fulgore materiæ, Deos æſtimat: quibus formam quidem, ſed non vitam artifex dare potuit.

Atqui nec ipſe Chryſoſt. præſepis argentei imaginē tanto habuit in precio, quãto ipſum pręſepe luteũ, quo Dominus natus recõditus fuit. Siquidē Homelia de natiuitate Domini, *Hom. 35. de natiu. Dom.* O ſi mihi, inquit, liceret videre illud pręſepe, in quo Dominus iacuit. Nos quidē quaſi pro honore tulimus luteũ, & poſuimus argenteũ: ſed mihi precioſius eſt luteum. Chriſtiana fides meretur præſepe luteum. Qui in iſto pręſepi natus eſt, aurum condemnat & argentũ. Non condemno eos, qui honoris cauſa fecerunt vaſa aurea, & aureum præſepe: ſed in luto admiror creatorem.

Itaque non attendit Chriſtianus imaginis materiam, ſed prototypum: nec ſpiritum requirit ex materia, ſed ex eo quod per imaginem deſignatur.

Cæterùm non ſolùm idola exiſtimauerim ea eſſe, quæ opifices ex ligno aut alia materia componunt, cùm ipſa nihil in mundo ſint: ſed & ſcriptura multos hoc nomine donauit,

qui etſi ſpecie tenus aliquid eſſe videantur, ſi tamen penitiùs inquirantur, videbuntur eſſe nullius ſenſus & animi. O paſtor idolum, derelinquẽs gregem, inquit Zacharias. Quot ſunt qui mirantur externum apparatum veſtimentorum, annulorum, equorum & ſeruorum: & nihili ducunt pietatem in hominibus, doctrinam, ſcientiam? Sic coopertos illos auro & argento ſuſpiciunt, cùm ſpiritus in viſceribus eorum non ſit. Hanc hominum ſtupiditatem Iacobus deſcribit, quòd ſi quis in ſtola alba & annulo ingreſſus fuerit, omnes illi aſſurrecturi, & locum daturi ſint: ſi quis autem pauper aduenerit, dicturi ſint, Sede hîc bene ad ſcabellum pedum meorum. *Zach. 11.*

Dominus autem in templo ſancto ſuo. Ille in Apoſtolis, quos pauperes elegit in mundo, diuites in fide. Ille in electis omnibus, quorum corpora templum ſunt ſpiritus. Non in Nabuchodonozor, ſed humilibus prophetis. Nõ in illis idolis Gentium, ſed ipſe in ſanctuario ſedet ſuper Cherubin: & agnoſcitur in imaginibus illis & ſymbolis, quæ eius mandato Moſes erexit. Ille item in cœlo, immò & ſuper omnes cœlos adimplens omnia. *Sileat à facie eius omnis terra.* Terreni quique, ipſe etiam Nabuchodonozor eius gloriã vel inuitus fateatur: & ex brutali cõditione remigrãs in humanã, idẽ exclamet, quod Antiochus. Iuſtum eſt mortalem ſubditum eſſe Deo, & non paria Deo ſentire. Sed & idem omnes

homines agnoſcant, nec ſculptilibus honores diuinos deferant. Vincentius Lirinenſis & Hieronymus multis in locis prophana dogmata, idola vocat. Sunt & hæretici idola, ſpecie tenus aurei & argentei, ſed qui omni vitæ ſpiritu deſtituantur. Hos nonnulli mirantur & adorant. Sed tandem ita Eccleſiæ Chriſti & veritati ſucceſſurum eſt, vt terreni quique ſileant à facie eius.

ORATIO.

1 AVerte igitur proſtitutionem meretricis huius, id eſt hæreſeως: auerte à nobis idola, aurea & argẽtea, iſtos impietatis & mendacij profeſſores, qui faſtum quidem & lenocinium verborum habent, ſed non ſpiritũ. Horũ enim dogmata quid aliud ſunt quã imaginationes falſæ, quę docent mendaciũ?

2 Fac vt tibi ſoli, & Chriſto tuo veritatem acceptam referamus, te in vna colamus Eccleſia. Vbinam ſcilicet te requiſituri ſumus, niſi in templo ſancto tuo?

3 Sileat à facie tua omnis terra. Conticeſcant hæretici & ſchiſmatici, & Barbari quique qui terrena ſapiunt. Et magnificetur nomen tuum inter nos.

4 Ne illos nobis præualere ſine, ne fortè id tribuant idolis fantaſmatum ſuorum, quaſi aliquid virtutis & veritatis habeãt. Sed propter ſanctificationem nominis tui, & conformationem fidei, Eccleſiam tuam protege, libera, & contra omnes inferi portas conſtantem redde. Per Chriſtum, &c. Amen.

HO-

HOMELIA XV.

Oratio Habacuk Prophetæ pro ignorantiis: Domine audiui auditionem tuam, & timui.

CAPVT III.

SI quis reus apud iuſtum, & tamē miſericordem iudicem deferatur, vbi negare non poterit id de quo accuſatur, ſaltem iudicem ſupplici geſtu, effuſis etiam lachrymis ſibi beneuolum & miſericordē reddere cōtēdet, ne legis ſeueritate in eū vtatur. Ecquis verò noſtrū eſt, qui non ſe reum eſſe iudicet? Septies enim in die cadit iuſtus. Et ſi dixerimus quòd peccatū nō habem⁹, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Arguit nos propria conſcientia. Itaq; cùm ante diuinum cōſpectum ſteterimus, quid aliud magis deprecabimur, quàm vt ipſe miſereatur noſtri, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & benedicat nobis? Hanc miſericordiā Abraham, hanc Prophetæ, hāc Moſes, hanc celeberrimi quique implorarunt. Hāc quoque noſter hic Habacuk, non ſibi modò, ſed & populo Iſraëlitico, ſed & omnibus nobis cōmunicari poſtulat. ſiquidem hac oratione ſua, ſi quid ipſe per ignorantiam peccarit, tam audacter cū Deo contendendo, remitti poſtulat: maximè

verò errores & ignorantias populi ſui, ne has Deus imputet, & ſalutem quam pollicitus eſt, reuocet. Orat vt dum erunt apud Babylonios captiui, dignetur clementer agere cum eis, & ſeruare eos incolumes. Ad maioris autem in eum fiduciæ argumentum, producit in medium ſigna & virtutes, quæ ſuam in populum beneuolētiam teſtata ſunt, cùm illum ex Ægypto liberum educeret. Prædicit obiter captiuitatem Babylonicam, & libertatem ſucceſſuram. In typo autem ſubuerſionem regni Sathanici, fidelium libertatem, Chriſti victoriam, & ſummam quam expectamus fœlicitatem prænunciat. Ex quo efficitur, vt & nobis aptari poſſit hæc oratio, ad demirandam Dei beneuolentiam & virtutem, ad conciliandam eius miſericordiam & gratiam, ad noſtram omnium ſalutem & gloriam.

Titulus Pſalmi eſt, *Oratio Habacuk Prophetæ pro ignorantiis*. ita enim vertunt noſtri, quod apud Hebræos legitur, *Thephila lahabakuk Hanaui Hal ſighinoth*. Sic nimirùm, inquit Hieronymꝰ, Aquila & Symmachus, & Quinta editio, ſicut nos, pro ignorationibus tranſtulerunt, ἐπὶ ἀγνοημάτων. Solus Theodotio ὑπὲρ τῶν ἐκουσιασμῶν, id eſt, pro volūtariis, & pro his qui ſponte delinquunt. Ratio enim dictionis poſtremę habetur, à *ſagah*, errare ceu ignorare. Vnde fit, vt Rabbi Salomon putet hîc Prophetam peccatum ſuum plangere, quaſi temerè locutus fuerit in Deum:

ſunt qui volunt orationem eſſe pro captiuitate tollenda, ceu quæ pendebat Iſraëli à Chaldæis, aut à Romanis: alij hanc fuſam orationem ad auertendam illam famem quæ contigit in Iſraël: alij ad tollendam illam caliginem ex Iſraël, qua iam corrupta fide & moribus, diuinam lucem auerſabantur. Plerique verò cenſent hanc orationem eſſe *pro ignorantiis*, id eſt, illis peccatis, quæ perſecutionum tentationibus victus populus in Babylone commiſerit: partim per infirmitatem, partim per ignorantiam. Quis enim dubitet populum iſtum tot ſectis & blaſphemiis ventilatum, non in errores multos abductum fuiſſe? Commixti ſunt inter Gentes, inquit Pſaltes, & didicerunt opera eorum. Eapropter prohibuerat Deus, ne cum Moabitis & Ammonitis fœdus inirẽt. Adde quòd nitimur in vetitum, & faciliùs allicimur ad contentiones, quàm ad certam aliquam fidei regulam. Ideò nimirùm Cicero condemnat eos, qui vt Epicurum refellerent, à perſpicuis ad obſcuriora animum auocarunt: quòd captioſis interrogationibus quidam decepti, cùm eas diſſoluere non poſſent, deſciſcerent à veritate. Quis ex Iſraëlitis permultos nutaſſe dubitauerit, cùm ſacra illorum à Babyloniis riderentur, cúmque inſultantes acclamarent, Hymnum cantate de canticis Syon? cùm exprobrarent, quòd nec Deus illos eripuiſſet. Eadem ſcilicet aliquando exprobranti Rabſaci, Eliachim

Lib. 2. Queſt. Academ.

4. Reg 18.

& Sobna ſcriba dixerunt: Loquaris nobis Syriacè, & non Iudaicè, propter populum qui in muro eſt. Ne fortè hac exprobratione alliceretur, & deficeret ab ea fiducia, quam in Deum ſuum coniecerat. Ergo pro his ignorãtiis orat Habacuk, ne imputet in reprobationem errores illos populi, ſed potiùs cum eo aliquando miſericorditer agat, vt redeat in Hieruſalem. Mouebat Prophetam, quòd nec Moſen quidem nec Aaron permiſit Dominus inducere populum in terram quam iurauerat, quia dubitarant num aquam de petra poſſet educere. At verò maius hoc peccatum videbatur eſſe in Moſe, quã in populo rudi & ignaro. Ergo orat pro ignorantiis, ceu erroribus ignarę plebis. Non mutauit Dominus ſententiam, quam contra Moſen tulerat: mutauit autem illam, quam populo fuerat cõminatus. Erecto enim vitulo, dixerat Moſi: Sine me vt diſperdam populum iſtum. Et tamen orante Moſe, & Patriarchas in memoriã reducẽte, placatus eſt. Sic enim populi ignorantiam exaggerat, apud Ionam, vt ex ipſa argumentum gratiæ communicandæ accipiat. Tu doles, inquit, ſuper Hedera, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa? Huius quidem & ignorantiæ & infirmitatis ratione habita, Euſebius ſcribit, confeſſores olim congregatos apud Alexandriam, vt conſule-

Num. 11. *Exod.* 31. *Ion.* 4. *Lib.* 10. *hiſt Eccl. c.* 28.

rent quinam eſſent ad communionem recipiendi. Placuiſſe autem inducendos ſimpliciores, ſed perfidiæ autores amputandos. Quã enim difficile erat, vt tot irruentibus in Eccleſiam perſecutionibus, modò per tyrannos, Decium, Gallum, Domitianum: modò per hæreticos, Arium, Macedoniũ: non aliqui, & ſimpliciores auolarent velut paleæ? Chriſtus enim ipſe hoc de Apoſtolis dixit: Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Immò de vltimis temporibus verba faciens, Niſi, inquit, breuiati fuiſſent dies illi, non ſalua fieret omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur.

Ergo pro illis *ignorantiis* & erroribus rogat Habacuk, & ſuo nos exemplo monet, vt pro illis oremus, qui ignorantia & infirmitate, potiùs quàm malicia victi, aut in fide hærent & dubitant, aut ad hæreſes deflectunt. Sed & promptiſſima & aptiſſima oratio eſt, qua pro nobis & populo deprecemur, ſi quidem variis tentationibus, & afflictionibus ventilemur: vt his agitati, meminerimus interim nihil ſine Dei prouidentia contingere, & poſſe quidem illum nos eripere, idq́ue facturũ, vbi obicem peccatorum à nobis abſtulerimus.

Porrò titulus apud Septuag. talis eſt: Oratio Habacuk Prophetæ, *μετ᾽ ᾠδῆς*, cum carmine. Hinc fit, vt quidam per *sighiuoth*, non ignorantias, ſed genus quoddam carminis deſignari dixerint. Eſt enim hæc oratio carmine conſcripta. Vt autem apud Græcos &

Latinos carminum alia nomen ſortiuntur à materia, vt Heroicum, Elegiacum, Bucolicum, Tragicum, Satyricum: alia ab authore, vt Sapphicum, Aſclepiadæum, Adonicum: alia à numerorum pedumq́ue menſura, vt Hexametrum, Pentametrum, Iambicum dimetrum & trimetrum: alia ab inſtrumentis muſicis, quibus cantarentur, vt Lyricum: ita ſi quis attentiùs Pſalmorum librum legerit, inueniet carmina nomen ſortiri aut à materia, aut ab inſtrumento muſico. Porrò *Siginoth*, genus eſſe carminis manifeſtum eſt ex titulo Pſalmi ſeptimi, *Sighaion le-Dauid*. Quod initium fuiſſe vulgaris cantilenæ ſcribit ex Rab. Vatablus, ad cuius modulos decantatus fuerit hic Dauidis Pſalmus, vt ſi Gallicè dicatur, *Sur le chant de Sigaion*. Ex illo enim ſingulari, plurale *sighinoth* emergit.

Cæterùm magnum admirationis argumentum ſuppeditarat Dominus Prophetæ ſuo, cùm imminentem captiuitatem reuelaret. Mirum enim erat, hæc de populo illo dici, qui eſſet Deo dilectiſſimus, qui leges & mandata accepiſſet, qui tam celebre templum haberet, qui ſolus Deum ſibi proximũ agnoſceret: tantã tamen obuenturam illi captiuitatem prænunciari, vt præ omnibus nationibus abiectiſſimus videatur. Quis enim non fateatur nationem illam Hebræam, è ſummo laudis culmine, in extremam ignominiam demerſam eſſe? Non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Ioſeph. lib. 1. de bello Iud.

Verùm in illas miſerias ſua ipſorum peccata eos pepulerunt: adeò deteſtabilis eſt coram Deo iniquitas, vt nec filiis ſuis pepercerit: immò ne Angelis peccantibus: ſed rudentibus inferni tradiderit eos in æternum cruciādos.

Hoc igitur eſt, quod ſibi timorem incutere in ſuæ orationis exordio ſcribit Propheta, vt qui ſtat, videat ne cadat. *Domine*, inquit, *audiui auditionem tuam, & timui.* Nec prætereundum quidem eſt nomen *Iehouah*, nomen inquam ſolius Dei, ſummum & myſticum, quod Latina lingua exprimere nō poteſt. Hoc primum agnoſcit & inuocat, vt ſuam in Deum fidem proteſtetur, ne fortè adinſtar Babyloniorum ad Deū aliquem deflexiſſe videatur, qui nec audire, nec miſereri poſſit. Eo te nomine prouoco ô Deus, quo te appellari voluiſti, quod & Moſen docuiſti, cùm breui te populum illum tuum de Ægypti ſeruitute liberaturū pollicereris. Sit nobis & huius nominis, quod omnipotētiā & maieſtatē ſonat, ſimul & redēptionis illius recordatio in patrociniū apud te, vt & plebem tuam ex imminentibus tuæ iracundiæ flagellis, & me ex illius diſtrictiſſimi iudicij apprehenſione eripias.

Vrget autē, quòd de illius magnitudine & bonitate magna in poſteros fama profuſa fuerit à patribus: quā ſi quis attētè audiat, timore concutietur. Nam vt illum fidelibus ſuis & eum inuocantibus propitium, ita & contemnentibus & præuaricantibus terribilem eſſe intelligent. Porrò auſpicari videtur iiſdem

ferè verbis, quibus Adam, cùm ſui peccati confuſionem obiter notaret. Ait enim, *Vocem tuam Domine audiui, & timui.* Nam ceu fama illa diuinæ maieſtatis & virtutis aliis narrantibus, ceu ipſo etiam Domino atteſtante ad nos peruenerit: num eundem in nobis terrorem cauſabitur? Idem enim verbum, eadem doctrina eſt: vt cùm Dominus ipſe ait, Ego Dominus zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem:

Ioſ. 14. & hoc quod Ioſue tandem edoctus atteſtatus eſt, Deus enim ſanctus & fortis & æmulator eſt, nec ignoſcet peccatis & ſceleribu veſtris. Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis diis alienis, conuertet ſe, & affliget vos atque ſubuertet, poſtquàm præſtiterit vobis bona.

Cæterùm timor ille in nobis optimus eſt, quo Dei maieſtatem admiremur, & perpendamus in quem offenderimus, illius demum recordatione in charitatem inflammemur, &

Eccl. 25. à peccato abſtrahamur. Eſt enim timor Domini, principium dilectionis. Quin & Pſaltes, Timorem, inquit, Domini docebo vos.

Baſ. in Pſal. 33. quæ verba explicans Baſilius, Timor, inquit, ſalutaris, & qui ſanctitatis operatorius eſt, vis enarrem qualis ſit? Si quando te ſenſeris ad vnũ aliquod cieri ac proſilire peccatum, mihi ad mentẽ reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Chriſti iudicium, in quo præſidet iudex in alto & ſublimi throno. Aſtabit porrò creatura omnis pertrepida:

ſiſtētur & ſinguli de his examinādi quæ quiſque geſſerit. Hanc *auditionem* Domini, hanc illius famam ſi quis audierit, nunquid timebit? Immò ſi à patribus audiat, quāta ſeueritate Deus hominum ſcelera vindicarit, ceu cū aquis diluuij omnem carnem perderet, ceu cùm fulgure, igne & ſulphure quinque vrbes deleret, ceu cùm aquis Pharaonem & exercitum eius ſuffocaret, ceu cùm Chore, Dathan & Abyron aperta terra viuos in infernū deijceret, nónne totus cōcutietur, & ſibi maximè timebit? Atqui & hæc eſt *auditio*, hæc fama, hæc prædicatio, quam de Deo audimus, quòd vt in ſuos propenſus, ita in peccatores induratos terribilis eſt. At verò in Propheta timor hîc dicit ſtuporem, in quem raptus ſit, cùm diuinæ maieſtatis & virtutis teſtimoniū per auditum acciperet. Quod etiam amplificant Septuag. cùm & hoc habēt, *κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην, conſideraui opera tua, & expaui.* Ferebātur enim Propheta ad maiora, quā quæ verbis explicari poſſent. Ita quidē Paulus, Scio, inquit, hominem raptum vſque ad tertium cœlum, audiiſſe arcana, quæ non licet homini loqui. Quod de ſeipſo intelligit. Nam tametſi mirabilia ſint opera tua Domine, ſunt tamen ea potiſſimùm, quæ in diſpenſatione carnis Chriſti facta ſunt, ſtuporis pleniſſima. Ecce enim & ipſa virgo in ſermone Angeli turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet iſta eius ſalutatio. Nec ſanè dubium eſt, quin ex typo & figura, ferretur Propheta in veri-

tatem. Nec tam demiretur populi ſui captiuitatem, & ſucceſſuram per Cyrum libertatem, quàm totius humani generis miſeram ſeruitutem, & promiſſam per Chriſtum redemptionem. Facit enim ad expreſſam & maiorẽ reuelationem intelligendam, quod ait, *Audiui auditum tuum, & conſideraui:* Nimirùm, vt poſt Hieronymum obſeruat Dionyſius Carthuſianus, aut interiori auditu hæc ille perceperat, vel certè etiam exteriori. Certum eſt
Dan.14. namque Angelum Dei huic Prophetæ viſibiliter apparuiſſe, & eidem ſenſibiliter locutum fuiſſe, cùm illum in Babylonem transferret. Ex quo factum eſt, vt edoctus, conſideraret opera Dei, & expaueſceret. Nam licet illa, quæ Septuag. in ſua traductione produxerunt, non legantur in Hebraico contextu, vt Hieronymus annotat, non dubiũ tamẽ, teſte Auguſtino, diuino ſpiritu hæc ab illis eſſe addita. Eſt autem ille progreſſus, vt priùs audiamus, demum timeamus, tandẽ conſideremus, poſtmodum obſtupeſcamus. Idem enim nobis diuina in Chriſto myſteria cõſiderãtibus
Cic.lib.1. De nat. deor. continget, quod Simonidi. Quem cùm interrogaſſet tyrannus Hiero, vt quid ſit Deus explicaret, inducias triũ dierũ poſtulauit, quas etiam duplicari petijt: Quia, inquit, quanto diutius conſidero, tanto res mihi videtur obſcurior. Ita pauor ſuccedit diuina conſiderãtibus, etſi quidem illa facilia & peruia videãtur ab ignaris. Itaque ad ſtuporem perducebatur Propheta, Chriſti Ieſu aduentum con-

ſiderans. Quid enim hoc exordium eius cantici eſt, inquit Auguſtinus, niſi præcognitæ, nouæ, ac repentinæ ſalutis hominum ineffabilis admiratio? Hoc igitur idem ac ſi dicat, vt meditatur Theophilactus. Audiui pater, Domine mi, te mihi reuelantem incarnationem filij tui vnigeniti, & perterritus ſum & admiratus. Nam generationem eius quis enarrabit? Quomodo qui nec cœlo, nec terra capitur, vtero virginis comprehendetur? Quomodo corpus cum incorporeo, mors cum vita, cum morte reſurrectio conueniet? *Lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 32.*

ORATIO.

1. HÆc ſunt mirabilia opera tua Domine, quia miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua. Magnum quidem eſt meditari iuſtitiam illam tuam, quam contra peccatores eduxiſti, ceu diluuium, ceu Sodomæ excidiũ, Ægyptiorum naufragium, aut aliorum quorumcunque ſupplicia conſideremus.

2. Sed mirabilior miſericordia tua, illa maxime, quam in vnigenito filio tuo commendaſti. Magnum fuit Noé & familiam eius è diluuio eduxiſſe, magnũ Loth ex Sodomæ excidio liberâſſe, magnum Iſraëlem ex Ægypti ſeruitute in deſerti ſecuritatem deduxiſſe, magnum quòd idem populus ex Babylone in Iudæã liber tuo beneficio redierit. Sed & maximum eſt, quòd è ſpiritualibus hoſtibus, & æterna ſeruitute nos per filium tuum exemeris.

3. Expaueſcenda vtique illa omnia. Tua di-

lectio,qua filium vnigenitum dederis,vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Mirabilis eius conceptio,natiuitas,mirabilia illius acta, mirabilia deniq; omnia quæ in eius myſterijs, paſſione, reſurrectione,& aſcenſione credimus.

4. Da igitur hæc in humilitate meditari, te timere, hæc obſtupeſcere, vt & illorum fructum,libertatem ſcilicet à peccato conſequamur. Amen.

HOMELIA XVI.

Conſideraui opera tua, & expaui. Domine, opus tuum,in medio annorum viuifica illud: In medio annorum notum facies, cùm iratus fueris,miſericordiæ recordaberis.

Plutar. in Apoph.

ALexander ille magnus audiens quendam ſe conuitijs aſpergentẽ, βασιλικὸν, ἔφη, ἐστὶν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν: Regiũ,inquit, eſt bene facientem malè audire. Sunt enim nonnulli adeò deprauati animi,vt curioſa Regum ſecreta inquirant, & quod ignorant,temerariè ſtatuant, & malicioſè interpretẽtur. Sed ego hoc non modò βασιλικὸν,ſed & θεῖον, id eſt diuinum dixerim. Quis enim non curiosè ſe diuinis cõſiliis ingerat? Quis non ſua opinione illa metiatur? Quis non temerè & malicioſè de illis ſtatuit,ſi qua

afflictione premitur, & ſemel patientiæ virtutem amiſit? ſi affligit, crudelis iudicatur: ſi parcit, fautor malorum cenſetur, aut ſanè de illius prouidentia dubitatur. Bonis datis vtimur: ſi negentur, blaſphemamus. Adeò difficile eſt homini ſatisfacere. Ille pluuiam, ille ſerenum petit. Hic frigus, ille calorem. Hic abundãtiam, ille ſterilitatem. Et vterque votis cõtẽdit. Inde fit, vt vnus benedicat operibus Dei, alter maledicat. Nec deſunt, vt ſcribit Gregorius Nyſſenus, & Theodoretus, qui curioſè requirant, cur non prohibuit Adamum ne periret? Cur nõ ſtatim redemit? Cur non aliter? Cur homo factus eſt? Cur in virgine? Hîc vbi mirari Deum & laudare debuerant, ibi blaſphemant. Quàm melius Paulus, Noli, inquit, altum ſapere, ſed time. Eſt enim initium ſapiẽtiæ, timor Domini. Sic ſanè Habacuk ſe audiiſſe auditionem Dei, ſeque cõſideraſſe opera ei⁹ profeſſus eſt, ſed in timore & pauore. Inde factum eſt, vt ad maiora myſteria progreſſum faceret, ſeque in ſpe & fide confirmaret. *Greg. nyſſ. ſermo. cate. de diuinis ſacr. Theod. l. de prouid.*

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. Pro eo, inquit Hieronymus, quod nos & Aquila & Theodotio tranſtulimus, *viuifica illud*, Symmachus interpretat⁹ eſt, reuiuifica illud. Legitur autem in Hebræo, *Iehoua*, id eſt Domine, *Paaleka*, opus tuũ, *Bekereu*, in medio, *Sanim*, an norũ, *Haiehu*, viuifica illud. Hebræi autem iuxta hiſtoriam, hunc locum ita explanant. Domine, audiui pœnas, quas Nabucho- *Hiero lib. 2. in Hab.*

donozor & diabolo præparaſti, in quibus dixiſti ei, Væ qui multiplicat nõ ſua. Et ſecundò, Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ. Et tertiò, Vę qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. Et quartò, Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians. Et quintò, Væ qui dicit ligno, expergiſcere, & ſurge lapidi tacenti. Et ſicut timore perterritus ſũ, quòd draco magnus tot tantíſque vulnerib⁹ confodiendus ſit: ſic deprecor Domine, vt quod promiſiſti expleas, & finito tempore reddas Chriſtum tuum. Poteſt & ſic interpretari. Audiui quidem Domine te multa cõminari Iſraëli propter peccata: Attamen ille *opus tuũ*, populus tuus, & oues paſcuæ tuæ. Opus manuum tuarum: tuum eſt, nõ creatione modò, ſed tot tantíſque beneficiis quibus eum deuinxiſti: ergo, *Bekereu ſanim haiiehu*, id eſt in medio annorum viuifica illud opus. Hoc autem facies, non modò ſi vindictam de Chaldæis per Medos & Perſas ſumpſeris: & indulgente Cyro & Dario populum è Babylone liberum eduxeris, vt tibi templum ædificare, & victimas offerre poſſit: ſed multò magis viuificabis populum tuum, ſi Chriſtum tuũ miſeris, qui vera lux eſt & vita. Septuag. quidẽ annos deſignaſti ad reductionem populi tui è Babylone: hi verò quomo-
Lyra. do non velut mortui iaceant inter aduerſarios ſuos? Itaque ne expecta ſeptuageſimum

annum, ſed in medio illorum annorum viuifica, & excita populũ tuum. Intelligat aliquãdo ſecurã ſibi relinqui libertatẽ. Hoc verò accidit, cùm Balthaſar occiſus eſt à ſuis, & Babylon in poteſtatem Cyri regis trãſiit. Tunc enim quaſi è graui ſomno euigilare cœperũt Hebræi, cùm Babylonios à Medis expugnari viderent. Ex his enim facilè colligebant, Deum eſſe ſuæ captiuitatis vindicem. *In medio*, inquit, *annorum notum facies*, quòd ſis aliquando educturus populum tuum. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Nec enim abieciſti miſericordiam tuam à plebe tua: ſed vbi illam caſtigaueris, tum reduces captiuitatẽ eius, vt qui minimè crudelis ſis, ſed ideò percutias vt ſanes, ideò affligas vt conuertamur ad te, & miſericordiam tuam imploremus. Et quidem magnum hoc tuum erit beneficium, ſi captiuitatem populi tui reduxeris: ſed quàm maius eſt illud, ad quod me rapis, ô bone, cùm Chriſtus tuus aſcendens in cœlum, captiuam duxit captiuitatem, & hominibus dona contulit? Hæc ſunt enim illa tua opera quæ expaui, Chriſti tui natiuitatem, mortem, reſurrectionem, in cœlum aſcenſionem, & per eum humanæ naturæ libertatem. Nam & omnes *opus tuum* ſunt, quod noluiſti tam temerè in perditionẽ abire. Homo nimirùm nonageſima ouis eſt, & illa erratica, quam Chriſtus humeris ſuis ſuſtulit, cùm peccata noſtra in corpore ſuo portauit, cuius etiam liuore ſanati ſumus.

Hoc autem contigit, *in medio annorum*: non quòd tempore conſtituto non venerit, ſed quòd plenum mundi exitium & finem non expectarit, vt ad nos deſcenderet. ſiquidem vbi maturum vlcus eſſe vidit, tum animis noſtris ſuos languores, vt ſummum pharmacum impoſuit. Itaque, *in medio annorum notum facies*, quòd ſis viuificaturus populum tuum, inquit Vates: quia ſummũ hoc eſt tuę bonitatis axioma, quòd cùm *iratus fueris*, *miſericordiæ recordaberis*. Ira quidem præceſſit, ſed ſicut abundauit peccatum in mortem, ita abundat gratia in iuſtitiā per Chriſtum Ieſum. Obliuiſci videbatur miſericordiæ ſuæ, cùm tandiu differretur Chriſtus, ſed tandem, vt ſanctiſſima eius genitrix cecinit, ſuſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ: ſicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſæcula. Nam cùm Deus recordaturum ſe pacti, quod cum Noe pepigit, ex ipſa iride polliceatur: quanto magis recordabitur miſericordiæ ſuæ, cũ reſpexerit in faciem Chriſti ſui? cùm nos, licet ob peccata abominabiles, illius tormenta & liuores obtenderimus?

Porrò antiquiores Eccleſiæ patres, magnā vim faciunt in traductione Septuag. interpretum. Vbi enim legimus, *in medio annorum viuifica illud*, illi ſic vertunt, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, quod alij vertunt, *in medio duorũ animalium cognoſceris*, alij, *in medio duarum vitarum*. Nec quidem longè ab Hebraica di-

ctione

ctione recedere videntur, quæ habet, *Sanim haiehu*: nam *ſanim haim*, duas vitas & duo animalia ſignificat. Theodoretus & Theophilactus duo animalia variè hacten' interpretata ſcribunt: aut pro hominibus & Angelis, inter quos medius Chriſtus apparuit: aut pro duobus Cherubim, è quorum medio Dei gloria arcam obumbrabat. Sunt qui *in medio vitarum* transferant: quòd inter vitam præſentem & futuram Deus ſe manifeſtiorem reddat. Alij rurſus per duo animalia, Babylonios & Iudæos explicant, quorum in medio iuſtus Deus apparuit, & hos & illos ob ſcelera vindicans. Auguſtinus verò ad Chriſti natiuitatem transfert, in qua agnouerit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, vt ſcribit Eſaias. Ita nimirùm hunc locum contra Iudæos examinat. Dic, ait, & tu Habacuk teſtimonium Chriſto. Domine, inquit, audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui. Quæ opera Dei iſte miratus expauit? Nunquid fabricam mundi? Sed, in medio, inquit, duorum animalium innoteſces opera tua Deus. Verbum caro factum eſt: qui quouſque deſcendiſti, expaueſcere me feciſti, quia verbum, per quod facta ſunt omnia, in præſepi iacuiſti. Quid etiam eſt, *in medio duorum animalium cognoſceris*, niſi aut in medio duûm teſtamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moyſi & Helyæ, cum eo in monte ſermocinantium?

Gloſ ord. contra Iud. & t. 5. lib. de ciuitate Dei ca. 32

Matt. 27.

Jam ceu vulgarem, ceu Septuaginta interpretum tranſlationem attendamus, manifeſta eſt de Chriſto Ieſu Prophetia, vt cuius aduentum ſummis votis Propheta exoptaret. Licet enim ille primùm populi ſui captiuitatem deploraret, illumque educi è Babylone precaretur: ferebatur tamen in maiora per Chriſtum myſteria. Attendebat enim totius noſtri generis ſeruitutem per peccatum, & tyrannidem ſpiritualis Nabuchodonozor, nimirùm Sathanæ: Chriſtum verò aliquando venturum, qui nos ab hac ſeruitute in veram libertatem vendicaret.

In iraſcendo miſericordiæ recordaberis. ſic enim habet Hebraica dictio, *Bergkez Rahem tizkor*. Non poſſum ſatis hanc ſententiam expendere, vt quæ pulcherrima ſit, & conſolationis plena. Magis enim explicat incommutabilem Dei maieſtatem, quàm ſi ſic legamus, Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Poſſet enim aliquis id ſic interpretari, vt poſtquàm iratus fuerit Deus, tandem miſericordiæ recordetur: cùm ſit ita intelligendum, quòd percutiendo ordinet ſalutem, vulnerando pharmacum præparet, & deiiciendo reſtaurationem inſtituat. Hinc & illa Eccleſiæ oratio: Deus qui percutiendo ſanas. Non eſt igitur ira Dei vt ira hominis, quæ deferueſcit in rabiem: ſimul enim iraſcitur, & miſeretur. Summa autem miſericordia nobis in Chriſto confertur. Tunc miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſti-

tia & pax oſculatæ ſunt. Ita

non omnia ſemper
Aſtra, ſed alternis nunc hoc, nunc imperat illud: *Mantuan. lib. 2. de calamit. tem.*

nec ſemper nos manebit tribulatio. Quod & traductio Septuag. magis exprimit. ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου, ἐν ὀργῇ ἐλέους μνησθήσῃ, id eſt, cùm conturbata fuerit anima mea, per furorem miſericordiæ recordaberis. Quod Theodoretus ſic interpretatur. Correctionibus quidem perturbas animas hominum, ſed rurſus miſericordiam impartiris. Hoc expendi poteſt in religionis ſtatu. Nunc afflicta ſub Diocletiano Eccleſia, tandem reſpirat ſub Adriano. Premitur illa ſub Iuliano & Valente, floret ſub Theodoſio. Sic vtique in Galliis magna fuit tempore Clodouei turbatio per VVandalos, Hunnos, Gothos: ceſſauit & illa tandem ſopitâ hæreſi Ariana. *Aimoin.* Demũ tẽpore Ludouici & Philippi Regum magna fuit noſtrę Franciæ concuſſio per Albigenſes hæreticos: & illa tandem extincta eſt. *Annales Franciæ.* Ita quiſque, ceu publicas ceu priuatas miſerias ſpectet, id reputet, quòd cùm iratus fuerit Deus, miſericordiæ recordabitur. Percutiebat primùm Adamum, peccato commiſſo dicens: In ſudore vultus tui veſceris pane. Percutiebat & mulierem, adiiciens: In dolore paries filios tuos: ſtatim tamen remedium afferebat contra ſerpẽtem & omnes miſerias, ſemen illud mulieris electũ Chriſtũ ſuũ, quod caput ſerpentis cõtereret.

Cumque diluuium immiſiſſet, quo præter familiam Noé, omnem hominem extinxit, odoratus ſacrificium eius, Nequaquam, inquit, vltrà maledicam terræ propter homines. ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Fœdúſque percutiens cum Noé, Arcum, inquit, meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram: quòd non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Quòd ſi Deus in iride recordatur pacti ſui, quanto magis in Chriſto ſuo recordabitur miſericordiæ ſuæ? Quinetiam Geneſeos 15. Abrahamo prædicebat futuram ſui populi in Ægypto captiuitatem. Scito, inquit, prænoſcens, quòd peregrinum futurum eſt ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. Adiecit tamen eiuſdem liberationem, dicens: Veruntamen Gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hoc egredientur cum ſua ſubſtantia. Sic iraſcendo miſericordiæ recordatur, vt nemo deſperet, ceu eius comminationes audiat, ceu flagella experiatur.

Geneſ. 8. *Geneſ. 9.*

Cæterùm, vt obſeruat Hieronymus, non debemus putare obliuiſci Deum, & poſt irã ſuæ miſericordiæ recordari: ſed quòd nos in pœna poſiti putemus eum obliuiſci, iuxta illud, Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem? Nam & ſi quando tentationibus quaſi fluctibus operimur, & rapida dæmonum ad-

Lib. 2. Comm. in Habac. *Pſal. 12.*

uerſus nos procella deſæuit, velut ad dormientem loquimur, Exurge, quid dormitas Domine? Simulque Dei cerne clementiam. Non dixit, Cùm intuleris ſupplicia, miſericordiæ recordaberis: ſed, cùm iratus fueris. Qui autem iraſcitur, interdum non perçutit, ſed tantummodò comminatur. Quod & Apoſtolus ſentiẽs, ait. Reuelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem, & iniquitatem hominum. Vbi autem reuelatur, non infertur, non percutit: ſed reuelatur, vt terreat, & territis non inferatur. Hæc Hieronymus.

Hîc itaque, inquit Theophilactus, humanæ naturæ perſonam induens Propheta, Quum turbata, inquit, fuerit anima hominis, per irã tuam caſtigas: tum eius denuò miſereberis, perinde ac Iſraëlitarum, quos Babyloniis tradidiſti, & rurſus è Babylone liberos eduxiſti. Humana natura turbationem paſſa eſt, cùm ob præuaricationem mandati & inobedientiá morti ſubiecta eſt. Sicut Dauid ait, Auertente te faciem turbabuntur, & in ipſum puluerem reuertentur. Atqui rurſum eius es miſertus, cùm emiſiſti filij tui ſpiritum in corda noſtra, clamantem, Abba, Pater, vt & idem ait: Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. *Enarr. in Habac.*

ORATIO.

1 SIc tu exurgens miſereberis Syon, quia tempus miſerendi eius, quia venit tẽpus. Quid enim? A quo ſalutem ſperet Eccle-

ſia, niſi à ſaluatore? A quo curationem, niſi à medico? triumphum, niſi à victore? pacem, niſi ab eo qui eſt pax noſtra? remiſſionem, niſi ab eo qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo?

2 Hæc ſunt illa opera quæ expaueſcimus. Timemus iuſtitiæ ſeueritatem: ſed obſtupeſcimus miſericordiæ opera. Nam quantumuis iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Pater es, & quomodo obliuiſcaris noſtri? Caſtigas, vt emendes. Percutis, vt ſanes.

3 Ergo etiamſi occideris nos, adhuc in te ſperabimus. Magnum iracundiæ tuæ argumẽtum eſt, cùm videmus Barbaros tot Chriſtianorum terras inuaſiſſe: Hæreticos etiam tot regnis & prouinciis dominari, & populũ tuum captiuum retinere, ipſum verò tuis obſequiis & pietati vacare liberè non poſſe.

4 Ergo in medio annorum viuifica gregem tuum, & illum ex vmbra mortis erige, populum aduerſarium proſterne, & fac vt tibi tandem gratam exhibeamus ſeruitutem. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XVII.

Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan (ſemper ſela.) Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra. Splē dor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: ante faciem eius ibi mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius.

EXtremam Principis, & quaſi inſanam in ſubiectum ſibi homūcionem charitatē permulti iudicabunt, ſi pro illo ſingulari aliquo duello in hoſtem dimicare voluerit: quanto verò Dei maior eſt in nos dilectio, qui contra tot hoſtes ſteterit, vt abiectiſſimos peccatores eriperet? Pugnauit enim pro Iſraële contra Ægyptios, contra Amalechitas, & eas nationes quę ex aduerſo ſurrexerunt, ne terram promiſſionis conquirere poſſet. Et tamen quoties tentauerunt eum? Quoties exacerbauerunt in inaquoſo? Quoties & in Moſen, & Aaron inſurrexerunt? Sed miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

Hoc verò cùm magnum ſit, maius tamen ſuæ in nos charitatis argumentum propoſuit in Chriſto Ieſu filio ſuo. Hunc enim ideò miſit, ideò incarnari & päti voluit, vt

pro peccatis noſtris ſatisfaceret, vt opera diaboli diſſolueret, vt de illo in cruce triumpharet, & egrederetur ante pedes eius confuſus.

Hæc & illa diuinæ beneficentiæ teſtimonia proſequitur Vates: hæc quidem, quæ veteri illi populo exhibuit, cùm ex Ægypto egrederetur, & Gentes ſibi ſubiiceret: illa verò, quæ per Chriſti aduentum nobis communicata ſunt, & priùs in figuris contigerũt. Namque vbi Deum aliquando plebem ſuam, opus manuum ſuarum viuificaturum prædixit, ad maiorem expectationem adiicit, *Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan*. Argumento ab acceptis beneficiis ſumpto, docet non vanam eſſe ſuam in Deum fiduciam. Hæc enim ita cohærent præcedentibus. Tu quidem ô Deus, non minora nobis conferes, quàm patribus illis noſtris, quos ex Ægypti ſeruitute liberos eduxiſti: Captiui ſumus, & illi quidem: Nabuchodonozor habemus, & illi Pharaonem: inimicis Babyloniis ſubiicimur, illi verò Ægyptiis: tu tamen in brachio forti & manu extenta eos per Moſen eduxiſti: quid dubium eſt, quin principe Zorobabele, eandem illam tuam plebem in Palæſtinam reducas? Porrò ſiquidem populus tuus oblitus eſt legis tuæ, & teſtamenti tui, num rurſus quaſi ab auſtro, & à monte Pharan venies, vt illum edoceas? Nam quod hîc Auſtrum, *Theman* in Hebræo legitur: quam dictionem Aquila, Symmachus, & Quinta editio retinent, vt ſcribit Hieronymus. So-

Lib. 2. comm. in Habac.

lus Theodotio interpretatus eſt, *ab auſtro.* Porrò Themã regio fuit Principum Edom, in terra Gebalitica ,à Theman filio Eliphaz, filij Eſau, ſortita vocabulum, inquit Hieronymus in locis Hebraicis. Sed & vſque hodie eſt villa nomine Theman, diſtãs ab vrbe Petra quinque milibus. Sciendum etiam quòd omnis auſtralis regio Theman dicitur. Sunt etiam Theman & Pharan montes vicini mõti Synai: eſt & Pharan oppidum trans Arabiã, iunctum Sarracenis, per quod iter fecerunt filij Iſraël, cùm de Sina mouiſſent. Ex duobus autem illis montibus, exurgente nube, quaſi venire videbatur Deus, legem daturus Iſraëli. Nec enim putandum eſt, Deum de nouo aliquem locum adire, quaſi non omnia repleat. Cœlum mihi ſedes, inquit. *Lib. de locis Hebraicis.*

-Deum enim ire per omnes
Terráſque tractúſque maris, cœlúmque profundum

omnes agnoſcimus. Alioqui quomodo conſiſterent omnia? Tollente te manum tuam, turbabuntur. Hoc fuerit inter Idola, quibus in tres fratres diuiſus fuerit orbis, vt ſuperna Ioui, mare Neptuno, profundum Diti, terra Cereri, nemora Dianæ cederent: nobis vnus eſt Deus, in cœlo, terra, mari, & omnibus abyſſis.

Quomodo ergo venire dicitur? Tunc ſanè, cùm facto ipſo ſuam præſentiam docet. Sic enim dicitur elongari à ſuis, cùm non tam citò manum eis porrigit. Pſal. Vt quid Domine receſſiſti lõgè, &c. Ne diſceſſeris à me, &c.

Innocent. Eſt Deus vbique per eſſentiam, in beatis per gloriam, in electis per gratiam, in carne per vnionem hypoſtaticam, in Euchariſtia per concomitantiam. Ita nimirùm cùm dicimus aduentum Chriſti in carnem, non ita credimus, quaſi non omnia repleret priùs, ſed propter nouam & inauditam vnionem. Num ſcilicet legimus, fuiſſe illum cum electis, ſed & reliquiſſe nonnullos? Vtique per gratiam. ſed nouus & inuſitatus iſte modus fuit. Vndè Vates, Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ. Venerat in Oreb, cùm rubus arderet, & ardorem neſciret. Typus virginis: incorrupta enim illa. Et Moſes: Surgam & videbo viſionem hâc magnam. Et paſtores, Tranſeamus vſque Bethleem. Venit tandem in Sinai: ſed in ſtupore, vt ſe fortem & zeloten oſtenderet, qui inimicis præualeret. Venit, & apparuit gloria eius inter Cherub, cuius etiam maieſtas inter Angelos, & abſtruſa myſteria. Nec quidem locum mutat, qui in ſinu patris ſimul erat, & veniebat in mũdum. Quod etiam, ad myſterium fidei, nobis in re creditu difficiliori commendauit. In carne nimirùm ſua, quæ ſimul non relicto cœlo, in Euchariſtia eſt: & quæ non relicto menſæ loco, ab Apoſtolis ſumebatur.

Hug. de S. Vict. lib. 2 de ſacr.

Greg. Nyſſ. de natiu.

Hoc ergo in eum ſenſum cadit, ac ſi dixerit, Veniſti quidem primùm velut ex illis montibus, vt legem tuam rudi populo promulgares, ne fortè ad Ægyptiorũ corruptiones & prophanos cultus delaberetur: atqui

& idem nobis beneficium exhibebis. Nam quia Chaldæorum impoſturis, & abominationibus Gentium offenſi, paulatim legis tuæ obliti ſunt: tu quaſi ex illis montibus aduenienſ, per ſeruum tuum Eſdram, & legem, & collapſas ceremonias reſtaurabis.

Atqui quanta ſunt hæc, ſi ad Chriſtum conferamus? Num ille de cœlo deſcendit, vt patris voluntatem hominibus nunciaret? Num melior ille aut Moſe, aut Eſdra? Nimirùm hæc eſt illa vox de cœlo allata à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Atqui de illo hæc prophetice dicebantur. *Deus* enim *ab auſtro venit*, *& ſanctus de monte Pharan*, cùm de cœlis deſcendit, & incarnatus eſt de virgine Maria. Deum enim illum & ſanctum eſſe quis non credit? Nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Quem & hac exclamatione Thomas agnouit, Dominus meus & Deus meus. *Sanctus* etiam ab Angelo nuncupatur ſua ad Virginem legatione. Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei: nimirùm à quo noſtra ſanctificatio procedit. Hic *venit ab auſtro*. Quod exponit Hieronymus, à meridie, à claro lumine, qui & in filiis lucis habitat, & ad quem ſponſa in Canticis ait: Vbi paſcis, vbi cubas in meridie. Deus enim lux eſt, & lucem habitat inacceſ- *Hierony.*

ſibilem, gloria nimirùm incomprehenſibili illuſtratam. Inde verò venire aſſeritur, non quòd localiter moueatur, ſed quòd eius cognitio inde deſçendat ad nos, ſicut & Pſaltes ait, Inclina cœlos, & deſcẽde. Cęterũ nõ ſolũ ab æterna illa ſuæ diuinitatis claritate proceſſit, ſed & ab ipſo charitatis meridie, & veritatis ſplendore, in hunc mundum deſcendit, inquit Auguſtinus. Scribit autem Hieronymus, ſe à quodam Hebræo audiuiſſe, quòd Bethleem, in qua Chriſtus natus eſt, è reſpectu Hieruſalem ad auſtrum ſita ſit. Quid ergo vetat, ex hac Prophetia idem colligi, quod planiùs Michæas explicat. Et tu Bethleem Ephrata, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.

Aug. lib. 18. de ciui. Dei. ca 32

Mich. 5.

Venit & ſanctus ille ſanctorum, *de monte Pharan*, de monte pulchritudinis, ceu gloriæ ſuę. *Paran* enim deducitur à *Paar*, quod glorificare ceu decorare ſignificat. Egreſſus enim eius ab initio à diebus æternitatis. E monte quidem decoris & gloriæ, quòd ipſius maieſtas omnia ſupergrediatur: ſed & altiſſima ſit. Septuaginta vertũt, ἐξ ὄρȣς κατασκίȣ, δάσεως, de monte vmbroſo denſo, habitum loci poti' quàm nomen reddentes. Horum verſionem
1 Theodoretus, Theophilactus & Auguſtinus explicant. Theodoretus quidem Hieroſolymam deſignari cenſet, omni genere gratiarũ diffluentem, & diuinæ protectionis nebula inumbratam, è qua Chriſtus audiendus erat,

Theod. in Habac.

vbi iam ex auſtro, id eſt, Bethleem proceſſiſſet. Nimirùm & hoc Eſaias & Michæas his verbis pollicebantur: De Syon exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.

2 Theophilactus montem etiam illum ad diuam virginem transfert. Deipara virgo mons etiam aſper eſt, inquit: vt in quam ferrũ cogitationis ſordidum virus habentis, non aſcenderit, neque humanæ manus vel operationis, vt virginitatem eius reſecaret. Opacus & vmbroſus mõs illa ipſa vocatur: mons quidem, ob vitæ, contemplationis, & gratiarum in ea ſublimitatem: vmbroſus verò, quòd Spiritus ſanctus deſcenderit ſuper ipſam, & virtus Altiſsimi eam obumbrauerit. Ex illo monte venit ſanctus noſter.

3 Auguſtinus verò, Etſi, inquit, mons vmbroſus & condenſus multis modis poſſit intelligi, libentiùs tamen acceperim ſcripturarum diuinarum altitudinem, quibus prophetatus eſt Chriſtus. Multa quippè ibi vmbroſa atque condenſa ſunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, quum ibi eum, qui intelligit, inuenit. Fides noſtra ſit, non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapiẽtiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam autem non huius ſeculi, neque Principum huius ſeculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram: quam nemo Principũ huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent,

Lib 18. de ciuit. c.32.

1.Cor. 2.

nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent, ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, &c. Nobis autem reuelauit per Spiritum ſanctum. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.

4 Hieronymus etiam hîc meditatur montem vmbroſum, Deum patrem incomprehẽſibilem & perfectũ, qui maieſtate ſua omnia tegit & operit, de cuius ſinu filius deſcendit in mundum, non locum tranſmutans, ſed naturam humanam aſſumens.

Hic igitur erit egreſſus ſancti Iſraël Regis noſtri, è maieſtate illa æterna, è monte gloriæ eius, è diua Virgine, è Bethleem, & tandem ex vrbe Hieroſolymitana, quum eam ſua doctrina & miraculis illuſtrarit. Vnde ad magnitudinem eorum adiicit, *Sela*, ſignum ſuſpenſi tam ſenſus quàm animi, quod non leuiter prætereundum ſit. Neque enim hæc dictio cum præcedentibus cohęret, ſed indicat vocem canentium in præcedenti dictione exaltari debere, quòd & his ſimul mentes in magnorum myſteriorum contemplationem eleuentur. Dicitur enim à *Salal*, quod eſt eleuare. Hieronymus vertit *ſemper*, ac ſi dictio eſſet *Thamid*: quòd eleuationem & productionem temporis ſpectet. Septuaginta tranſtulerunt διάψαλμα, Symmachus ἐις τὸν ἀιῶνα, id eſt, in æternum: Theodotio ἐις τέλος, in finem: Quinta editio ipſum He-

braicum *Selah* retinet . Deſignabatur enim ſaluator in vniuerſis beneficiis ſuis præteritis, præſentibus, & futuris, vnus author, idẽque legiſlator: quem ſic ad Hebræos Apoſtolus deſcribit, Chriſtus heri, hodie, & ante omnia ſecula.

Cęterũ, vt ſcribit Theophilactus, *diapſalma*, vox eſt, quam Græci interpretes reddiderũt pro Hebræa dictione *Selah*. Significat autem, vt peritioribus Hebręis placet, quãdã peculiarem obſeruationem eius rei, quæ illic per ſpiritum Propheticum dicitur. Quaſi dicat: Res non eſt parua quæ prædicitur: eam igitur imis ſẽſibus reponite. Eius enim maieſtatem explicat quod ſequitur. *Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra*. Tanta eſt enim illius Dei maieſtas, qui venturus eſt, vt nec cœleſtia, nec terreſtria illi contemplãdę ſufficiãt. Immò nec cœli cœlorũ capere illum poſſunt, cũ & ipſe ſuâ gloriâ cœlos operiat. Mirabile igitur eſt, quòd illũ, quẽ cœli capere non poterant, virginis gremium acceperit. Hic enim eſt ille *Emmanuel*, nobiſcum Deus, quẽ virginẽ in vtero acceptura͂ Eſaias *Eſai. 7.* prædixit. Hic ille eſt increata Dei ſapientia, quæ per Salomonem dicit, Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui. Hic eſt qui ſua gloria *cœlos*, id eſt ſanctos & electos ſuos operit: eos inquam, quorum conuerſatio in cœlis eſt. An non ſcilicet Chriſtum fatemur per fidem habitare in cordibus noſtris? Hoc illud eſt tabernaculum

Ioan. 1. Dei cum hominibus, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Sic, vt apud Iob legimus, Nunquid non eſt numerus militum eius, & ſuper quem non ſurgit lumen ipſius? Hic eſt, inquam, qui ſua maieſtate replet omnia, & ipſos etiam *cœlos* Angelos, ſua gloria fœcundat. Etſi enim factus eſt homo, & per hoc paulominus Angelis minoratus *Theoph.* apparuit: hic eſt tamen qui omnem ſupergreditur, etiam Angelicam naturam. Ad quem enim Angelorum dixit, Filius meus es tu, ſede à dextris meis?

Laudis eius plena eſt terra. Nam cùm ipſum dederit Deus caput ſuper omnem Eccleſiam, non modò illius gloriam cœlos, id eſt, electorum & beatorum congregationem operire & ſuperueſtire oportuit: ſed & laudē eius per totam terram, Eccleſiam ſcilicet militantem, toto orbe diffuſam celebrari. A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini, inquit Pſaltes, ſiquidem in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorū, & in fines terrę verba eorum: ita factum eſt, vt nomen eius ſanctificaretur, vt in cœlo, ita & in terra. Hoc per Hieremiam pollicebatur. Omnes cognoſcent me à minimo vſque ad maximum. Hoc verò contigit maximè, cùm *operuit cœlos gloria eius,* cùm in cœlum glorioſam carnem eleuauit. Quid enim eſt quod hîc dicitur, niſi quod & Pſaltes, Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua? Tunc enim Apoſtoli egreſsi euangelizarunt vbique,

que, ſequentibus eos ſignis.

Splendor eius, vt lux erit. Fuit quidem Moſis facies tanto lumine illuſtrata, vt in faciem eius filij Iſraël intendere non poſſent. Sed quanto Chriſti facies illuſtrior fuit in monte? Illa enim adinſtar ſolis apparuit, & veſtimenta eius facta ſunt velut nix, qualia non poteſt fullo reddere ſuper terram. *Cornua tunc in manibus eius* erāt, cùm Moſes tabulas aſportaret, ceu cùm ipſe Dominus per Moſen tot portenta & ſigna operaretur: ſed quid ſi ad Chriſtum conferamus?

Splendor quidem doctrinæ Chriſti, lumen erit non obſcurum, neque imbecillum, quale Moſaicum erat, quod vmbram tantùm habebat futurorum bonorum: ſed verum lumen, vera lux. Lex enim per Moſen data eſt, ſed per Ieſum Chriſtum veritas & gratia cōmunicata eſt. Propterea & Propheta dixit: Illuminare Hieruſalem, venit enim lumen tuum. Et, Populus ſedens in tenebris vidit lucem magnam. Nam & ex ipſius doctrina & miraculis lux diuinæ maieſtatis effulſit, ex qua quiſque facilè colliget ipſum eſſe lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Theoph.*

Cornua in manibus eius. Per cornua, regna intelliguntur, inquit Hieronymus. Sic enim apud Danielem decem cornua, decem regna ſunt. Et cùm in primo Regum legimus, Exaltabit cornu Chriſti ſui, regiam dignitatem intelligit. Hinc nimirùm, quòd illa oleo è I *Hieron.* *1 Reg. 2.*

cornu profuſo cõferretur, ex quo Rex vnct', ceu Chriſtus diceretur. Hoc igitur eſt, quòd in manu Chriſti ſunt omnium iura regnorũ, cùm ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium: cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra.

2. Ceu per cornu, ſuperbiam impiorum intelligamus, nunquid illa in manibus eius eſt, vt in momento illam diſcutiat? Aptauit ſibi Sedechias Pſeudopropheta cornua ferrea ad ſuperbiam, dicens Achab Regi: His cornibus ventilabis Syriam. Sed & de impijs dicitur:
Pſal. 74. Nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſum Deum iniquitatem. Et quidem hac dictione Dæmonum arrogantiam intelligere poſſumus, quæ in manibus eius fuiſſe dicitur, cùm de illis in cruce triũpharet. Sic enim *manus* pro poteſtate ſumuntur, vt cùm dicit Pſaltes, In manibus tuis ſor-
Pſal. 30. tes meæ. Ipſe autem ſibi ſubiecta eſſe omnia dæmonia teſtabatur, nõ modò cùm illa è corporibus obſeſſorum abijceret, ſed & cùm paſſioni ſuæ appropinquaret. Ait enim: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mũdi eijcietur foras. Sed & ex eo omnis noſtra potentia pendet, qui fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Theodoret. in Hab. Inde fit, vt cum Dauid dicere poſſimus, In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.
Pſal. 41.
3. Euſebius lib. 6. Demonſtrationis Euangelicæ, cap. 15. per *cornua*, regni Chriſti inſignia interpretatur, quib' inuiſibiles poteſtates re-

pulit. Quæ inſignia? Et in quibus agnitus eſt? Non in auro, inquit, non in armatis militibus: ſed in cruce. Eſaiæ 9. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et factus eſt principatus ſuper humerum eius. Quia alij reges manu, iſte humeris ſceptrum portauit. Quod ſceptrũ? Crucẽ. Vnde & Dauid: Dñs regnauit à ligno. Nũquid verò his crucis cornib⁹ aduerſarios repulit, & de illis in cruce triũphauit? *Iuſtin. dia. cumTriph.*

Quinetiam Auguſtinus, *Cornua in manibus eius*, inquit, quid ſunt, niſi trophæum crucis? Manus enim eius confixæ ſunt in cornibus crucis. Cur non enim cornua crucis dicamus illa eius extrema & brachia, quibus Chriſtus protendebatur? Erant enim illa quaſi cornua. Adde quòd Pſaltes cornu altaris nuncupat. Eſt verò crux Chriſti, altare noſtrum, quo ſe ille in ſacrificium obtulit. Fuerint quidem arcus & baliſtæ, in Perſarum & Medorum manibus, quaſi cornua in manibus Dei, vt Lyranus obſeruat: & *ibi fuerit abſcondita fortitudo eius*, quòd victoria Medis contra Babylonios conceſſa, non humanæ, ſed diuinæ virtutis fuerit. *Ante faciem eius proceſſerit mors*, cũ Ægypti primogenita omnia hominum & animalium perderet, aut cùm tot ex Babylonijs à Chaldæis occiſi ſunt: ſed & *egreſſus fuerit diabolus ante pedes eius*, cùm tales immiſſiones nonnunquam fiant per Angelos malos. Quàm tamen expreſſiùs hæc de Chriſto dicũtur? *Cornua erant in manibus eius*, cùm ipſe cruci affigeretur, vbi & ſeipſum exinaniſſe vi- *Pſal. 77.*

4 Lib 18. De ciuit. Dei. cap. 32. Glo. inter.

debatur, factus patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. At verò *ibi abſcondita erat fortitudo eius*, celabatur illa maieſtas humilitate, æternitas morte, diuinitas humilitate, fortitudo infirmitate. Sic ipſam velabat, vt eſcam hamo, ne fortè diabolus paſſionis eius myſteria interturbaret, & impios ab iis quæ contra eum moliebantur, auocaret. Vbi magis enim *abſcondi fortitudinem* dicas, quàm Deum in homine, æternum in moriente, vitam in morte, omnium iuſtitiam in eo qui inter iniquos deputabatur? Ideò Eſaias, Vidimus eum, inquit, & non erat aſpectus, & quaſi abſconditus eſt vultus eius & deſpectus. Expectauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Et rurſus: Inglorius erit inter viros aſpectus eius. Et in Pſalmis: Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

Gregorius Nyſſ. ſerm. catech. de din. ſacra.

Eſai. 53.

Ante faciem eius ibit mors. Hieronymus varietatem tranſlationis huius ſententiæ aſſignat. Pro eo, inquit, quod nos tranſtulimus mortem, in Hebræo tres literæ poſitæ ſunt דבר abſque vlla vocali. Quæ ſi legantur *Dauar*, verbũ ſignificãt: ſi *Deuer*, peſtem, quæ Græcè dicitur λοιμὸς. Denique Aquila ita interpretatus eſt, Ante faciem eius ibit peſtis: Symmachus, Ante faciem ei⁹ præcedit mors: Soli Septuag. & Theodotio ſermonem, pro morte intepretati ſunt.

Quòd ſi traductionem Septuaginta attendamus, *Ante faciem eius ibit ſermo, ceu verbum*, Theophilactus & Nicolaus Preſbyter ita explicant: Fama erit & rumor multus ante ipſum, quandoquidem ſurſum & deorſum ſanctiſſimi Vates de ipſo myſterium prædixerunt. Siquidem ante incarnatam eius diſpenſationem, propheticus ipſum ſermo prędicabat. Ioannis item prædicatio, dum ait: Veniet fortior me, poſt me. Poſthęc exiit ſermo eius in vniuerſam Syriam. Sic fuit inſignis Chriſti præſentia, Magis ab Oriente venientibus, & Regem Iſraëlis ipſum prædicantibus: maximis etiam miraculis editis quaſi clara quadam voce ipſum Deum eſſe prędicantibus.

Quòd ſi *Deuer*, vt legitur Exod. 9. pro peſte & morte ſumamus, quomodo non ante faciem eius iuit mors, cũ ille morte ſua mortem fugauit? Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua, vbi eſt mors ſtimulus tuus, inquit Apoſtolus? Ait enim per Oſeam: De morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morſus tuuş ô inferne. Et per Eſaiam: Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum. Mors quidem per vnius peccatum, orbem terræ ingręſſa eſt: Chriſtus verò per ſuá iuſtitiam & mortem, mortem noſtram abegit, & vitam reſurgendo reparauit. Hoc enim maximè de morte ſecunda intelligitur, quæ nec in Chriſtum, nec in electos eius præualere poteſt. Et de hac quidem ait, Qui credit

in me, mortem non videbit in æternum.

Egredietur diabolus ante pedes eius. Hebraïca ſententia eſt, *Veietſe Reſſeph leraglaio*, Egredietur Reſſeph ad pedes eius. Reſſeph autem prunã, ferrum ſagittæ, morbum calidum, peſtem & dęmonem ſignificat. Ferrum quidem ſagittæ, ſi ſplendeat ad modum prunæ ardẽtis. Dicunt autem Hebræi, teſte Hieronymo, Reſſeph dæmonis eſſe nomen, qui principatum tenet inter alios, & propter nimiam velocitatem, atque in diuerſa diſcurſum, auis & volatile nuncupetur. Dictio enim illa Deut. 32. & Iob 5. volucrem ſeu auem ſignificat. Vnde Symmachus, Theodotio, & Quinta editio, volucrem traduxerunt. Hunc autem Dæmonem ipſum eſſe dicunt Hebręi, qui in paradiſo, ſub figura ſerpẽtis, mulieri ſit locutus. Ergo quod dicitur, *Et egredietur diabolus ante pedes eius*, Hieronymus tum primùm in Chriſto manifeſtũ fuiſſe ſcribit, cùm è baptiſmate egreſſus eſt. Tunc enim ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, & accedens tentator, ei præualere nitebatur. Tũc quippè coluber ille antiquus quadraginta diebus tentauit Ieſum in ſolitudine. Attamen his elapſis tandem victus, *egreſſus eſt ante pedes eius*. Sed & ſtatim atque Chriſtus dæmoniacis appropinquabat, exibant ipſa dæmonia clamantia & dicentia, Scimus quòd ſis ſanctus Dei. Et rurſus: Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene, veniſti antè tempus torquere nos? Sed & tum maximè mors diffugere cœpit, cùm Chriſtus ſpiritum patri reddi-

dit, cùm ſol & luna obſcurati ſunt, monumēta aperta ſunt, & omnia eius diuinitati teſtimonium reddiderunt. Hæc ſumma fuit per Chriſtum victoria.

ORATIO.

1. QVis igitur non timeat te ô Rex? Leo rugiet, & quis non timebit? Tu autem viciſti ô leo de tribu Iuda. Ecce Sathanam in infirmitate, mortem morte, peccatum ignominia, dolores tormentis ſuperaſti.

2. Et quid nunc non poſſis, cùm aſſideas patri? In cruce quidem abſcondita eſt fortitudo tua: ſed nunc illa operuit cœlos, non à cœlis operta eſt, & laudis tuæ plena eſt terra.

3. Tu igitur qui mortem moriendo deſtruxiſti, & de principatibus & poteſtatibus tenebrarum in cruce triumphaſti, è cuius conſpectu diabol' confuſus profugit: eripe nos è ſerpentis illius inſidijs: auerte vmbram mortis, & quamcunque impietatum & hęreſeωn ſuggeſtionem.

4. Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Confunde eos qui contra numē tuum, Eccleſiam adinſtar Babel ædificant: vt operiat cœlos gloria tua, & terra repleatur laude tua. Qui viuis, &c. Amen.

HOMELIA XVIII.

Stetit & menſus eſt terram. Aſpexit & diſſoluit Gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

MAgna vis eſt ſolis, vbi radios & calorem ſuum exeruerit. Nec enim modò fertilitatem terræ excitat, ſed & ſimul niues & glacies diſſoluit. Quantò maior eſt Dominus, vt qui gratiarum dona fidelibus ſuis infundat, hos ad fertilitatem bonorum operum inuitet, & per difficillima quæque ſecuros comitetur: quinetiam aduerſaria omnia peruincat & ſuperet? Angelus enim eius in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Huius virtutem & in ſuos beneuolentiam extulit Propheta, non modò in iis quæ iam plebi ſuæ communicarat, cùm illos ex Ægypti ſeruitute in terram promiſſionis dirigeret: ſed & in iis quæ prænunciabat futura, aut cùm eos eriperet è Babylone, aut per Chriſtum ſuum redimeret. Eadem etiam proſequitur. *Stetit & menſus eſt terram*. Sicut enim profligatis Ægyptiis, & exteris nationibus,

plebem ſuam ita direxit, vt eis metiretur terram promiſſionis, hanc illi tribui, hanc & alteri partem in ſortem diſtribuens: ita quidē ſuperatis omnibus hoſtibus, fidelibus ſuis, ceu Eccleſiæ ſuæ, non angulum aliquem terræ, ſed vniuerſam eius faciem dimetietur. Nam quòd ſubſtitiſſe dicit, alludit ad arcam Domini, quæ ſubſtitit quatuordecin menſibus in Galgal, donec diſtributa fuiſſet terra per duodecim tribus. Antea ſcilicet, per deſertum quoties procedendum erat, & per omnes vrbes, quas oppugnari oportebat, arca Dei circunferebatur. Vt autem in Galgal ventum eſt, ibidem tabernaculum erexerūt. Porrò quia Deus ſe in arca videndum, & ex ea propitiationē populo conciliandam promiſerat, ideò procedente arca, etiam & Deus proceſsiſſe, ipſa verò ſtante, Deus ſtetiſſe dicebatur. Hinc & Dauid, Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes.

Nunc verò quàm maiora nobis myſteria relicta ſunt? Non arca ex lignis Cethim, ſed ipſa Euchariſtia, ipſa etiam Chriſti caro, quā certiſſimè diuina illius maieſtas comitatur. Stetit Deus ſuper arcam, cùm & ignis, & columna, & nubes apparerent. Hîc ſeſe porrigebat diuina gratia: ſed ſtat ipſa maieſtas in carne Chriſti, non per gratiam modò & virtutem, ſed per naturam, & vnionem hypoſtaticam: quod enim accepit, nunquam dimiſit.

Stetit arca, & ipſe etiam Dominus in Galgal, 1

interim dum diſtribueretur terra promiſſionis filiis Iſraël. At verò tandiu nobis caro illa viuifica, & Deus in carne proponitur, quandiu ad terram, ſed longè meliorem conquirendam enitimur, donec etiam illa nobis diſtribuatur in funiculum hæreditatis, quæ nobis cum Chriſto intercedit. Sic enim Pſaltes, Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Num etiam *ſtat* ad ſubueniendum, & terra commota eſt ad credendum? Ita terra
Auguſt. hæc vniuerſa ad recipiendam Eccleſiam ca-
2 tholicam diuiſa eſt.

Quinetiam ipſe eſt, qui *ſtabit* in iudicio cō-
3 tra omnes inſenſatos, cùm ſederit in ſolio maieſtatis ſuæ. Tunc autem *metietur terram*, cùm cuiuſque hominum actus & intentiones diſcutiet. Oculi enim Domini multo lucidiores ſunt ſole, circunſpiciētes omnes vias hominum. Nam, vt Iob teſtatur, quis poſuit menſuras terræ, aut quis tetendit ſuper eam lineam? & Eccl. 1. Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profunditatem abyſſi quis dimenſus eſt.

Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Ita occurrit his, quorū perſonā gerēs, primū cōquerebatur, dicēs: Quare taces cōculcāte impio iuſtiorem ſe? Nam ſimilitudine ſūpta à luce hac ſenſibili, docet & ipſum noſſe, & obſeruare omnia, & de his tandem ſententiam ſuā ſanciturū. Fuerint enim qui

de Deo dicerent, In cœlo eſt, nec noſtra cõſiderat. Sint & hæretici ſacramentarij, qui Chriſtum tantum à nobis ſeiungant, quantum ſummum cœlum à terra ſecernitur. Nũ verò & ille quotidie argumenta ſuæ præſentiæ porrigit, cùm ſuos conſeruat, & aduerſarios ſenſim deprimit? Conſidera ſolem: ergo quia ille in cœlo eſt, nec nos aſpicere, nec lucere, nec calefacere, aut excitare poteſt. Et verè ſol iuſtitiæ Chriſtus eſt, quantò magis ille hîc & in cœlo eſt? Helyas ſurſum & deorſum, inquit Chryſoſtomus, quia pallium reliquit: Chriſtus verò ſurſum & deorſũ, quia corpus ſuum nobis tradidit, vt ex eo vitam hauriamus. *Hom. 2. ad pop. Antioch.*

Require ſcilicet quid non poſſit ſol, etſi videatur diſſitus à nobis. Aſpicit nos, & diſſoluit glaciem, ceram, cæteráque liquida, vt ait Habacuk: Chriſtus verò ſol iuſtitiæ, ſuæ omnipotẽtiæ effectum nobis oſtendit. Cæterùm Propheta eos quos Domin' Chriſt' ſibi ſubiecturus ſit, in tres ordines diſtinxit, vt ſint *Goim* Gẽtes, *Harim* mõtes, *Guiuoth* colles. Tres enim ſtatus totius Reipublicæ eſſe videntur. Principes, ceu illos pro Prælatis Eccleſiæ, ceu pro ſummis regni magiſtratibus intelligas, & hi per montes deſignantur: qui autem mediocrem aut inter Eccleſiaſticos aut ceteros conditionem ſortiti ſunt, colles: qui humilem ſtatum ſequuntur, Gentes eſſe dicentur. Et quia potentiores graui' manet iudicium, id de Gentibus, ceu humilibus di-

xit *Iather*, quòd illos compeſcuerit, & ſtare fecerit. *Iathar* enim ſupereſſe & remanere ſignificat. De hominibus verò mediocris cõditionis, *ſahu*, inquit: id eſt, depreſſi ſunt, quia humiliati ſunt à ſuo faſtu, vt Euangelicæ ſe legi, & Chriſto iudici ſubmitterẽt. Porrò de ſummis illis magiſtratibus, quos *Harim*, id eſt montes dixit, adiecit *vaüt potſetſu*, cõtriti ſunt. *Pitſe* enim in *Pihel*, conterere ſignificat. Itaque quis non eius potentiam demiretur, cùm ſolo velut aſpectu concuteret & terreret nationes extraneas? *Diſſoluere* enim metaphoricè dicitur. Nam ſicut fluit cera à facie ignis, & diſſoluuntur glacies à facie ſolis: ſic diſſoluti ſunt eorum animi, qui populo Dei aduerſabantur. Hac virtute Amalechitæ, Madianitæ, & cæteræ nationes deuictæ ſunt. Sic enim de magna animi anguſtia & timore dicitur, Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Adeo igitur illos concutiebat Dominus, vt ſola tantùm ſui nominis fama, manus cum Iſraële conſerere nõ auderent: Gabaonitæ verò conſciſſis veſtibus ſtatim, ſed tanquã è longè profecti, fœdus cum eis pepigerint. *Contriti ſunt montes ſeculi*, magni illi Reges & fortes, Seon Rex Amorrheorum; Og Rex Baſan, omnes Reges Chanaan. Quàm clara ſcilicet fuit hæc victoria, quam Ioſue de quinque Regibus habuit, cùm primùm ſoli imperaſſet, ne à ſuo loco moueretur, donec parta victoria diuinum nomen illuſtrius appareret? Fuerint alij

aut vaſta corporis mole, aut dignitate, aut ſuperbia, velut quidam *montes huius ſeculi*: Fuerint & nobiles alij vel domini velut *colles*: Dicti ſint & huius ſeculi æternitates & antiqui, quia multis ſeculis & multo tempore in regione illa imperaſſent: attamen, *& montes cõtriti ſunt, & incuruati ſunt colles*. Et mihi quæſo vide, cur conterendos montes, incuruandos autem colles dicit. Nimirùm quia ſi qua in regnum clades irruerit, hæc illis tantò erit grauior, quantò maiorem in illo gradum conſcenderint. Grauior eſt Regibus & Principibus, quàm ſubſtitutis cæteris, non modò penſata qualitate perſonæ, ſed & illius afflictionis quam ſuſtinebit. Nec enim tantùm eius fortunarum, ſed & vitæ diſpendiũ in dubio eſt. Faciliùs quippè parcitur *collibus*, id eſt, ſubſtitutis magiſtratibus, quàm Regibus & Principibus, vbi de ſumma rerum quæritur: ne fortè ſi ſuperuixerint, aut aliquem honorum & opum gradum reliquum habeant, vindictam de ijs, qui ſua vſurparũt, moliantur. Ideò Athalia mortuo filio, percuſſit omne ſemen regium, niſi Ioas puer abſcõſus fuiſſet à Ioada. 4. Reg. 11. Iehu verò occidit ſeptuaginta filios Achab, & quadraginta fratres eiuſdem. 4. Reg. 10. Domitianus etiã inquiſiuit de poſteritate Dauid, ne quãdo rebellarent Iudęi, vt ſcribit Euſeb. hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 19.

Grauius eſt igitur quod minatur Regibus & Principibus, quàm quod minoribus magi-

ſtratibus. Conterentur hi, incuruabuntur illi. Contererer autem eſt, quaſi in puluerem aliquid redigere: Incuruare autem quid mitius eſt, quoniam hos cæſos, & in nihilum redactos, illos è ſuo gradu deiectos eſſe docet. Hoc quidem factũ eſt, cùm è terra promiſſionis Gentes eiicerentur. At maiora de Chriſto dicuntur. Quos enim quantumuis elatos ad montium inſtar tyrãnos, quos principes, non ſolo aſpectu concutiat, cùm venerit iudicare terram? Hinc Sapiens: Vbi ſunt principes Gentium, qui dominantur ſuper beſtias terræ, qui in auibus cœli ludunt? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt. Cùm enim *ſteterit* in iudicio, & *terram*, id eſt cuiuſque actus *dimenſus* fuerit: tunc *aſpiciet* æquitatis oculo, qui omnia conſiderat, & *diſſoluet Gentes* terrore & horrore, impios quoſque & incredulos concutiet, adeò vt ad inſtar eorum ſe habeant, qui præ cordis & humorum diſſolutione ſtare non poſſunt, ſed velut exanimes iacent. Quis enim poteſt cogitare diem aduentus eius? aut quis ſtabit ad videndum eum? Erit enim fortitudo eorum in direptionem, inquit Sophonias, quia vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ. Tũc *montes illi ſeculi conterentur*, quia iudicium duriſſimum fiet his qui præſunt. *Colles etiam incuruabuntur*, cùm nulla ſit apud Deum perſonarum acceptio: ex quo fiet, vt

Soph. 1.

potentes potenter tormenta patiantur, vt ſcribit Salomon. Hæc autem ſimilitudo & ſententia huic ſimilis eſt, quam habet Eſaias dicens, Oculi ſublimes hominis humiliati *Eſai. 2.* ſunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos. Ex his manifeſtum eſt, per montes & colles, homines in dignitate ſublimes, ſuperbos & arrogantes intelligi.

Conterentur, ait. Nam quantò deiicientur ab illo ſuo faſtu, quo cæteros contemnebant? Introibunt in ſpeluncas petrarum, inquit Eſaias, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram. Fiet autem id, *ab itineribus æternitatis eius*. Sunt autem itinera, illæ rerum omnium diſpoſitiones, & ideæ, quæ ab æterno in mente diuina illuxerunt. De his enim increata ſapientia dicit: Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequàm quicquam faceret à principio. Eſt & ipſa rerum omnium ab æterno præcognitio, qua cuiuſque cogitationes & opera diſcuſſit, etiam antequàm naſcerētur. Quod & Dauid agnouit, cùm hæc caneret. Domine, probaſti me, *Pſal. 138.* & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam: Intellexiſti

cogitationes meas de longè, & omnes vias meas præuidiſti. Ecce domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Hæ ſunt ergo illæ viæ æternitatis in Deo reconditæ, ex quibus etiam impiorum iudicium & reprobationem Deus iam ſanxiuit, non tamen promulgauit. Ab illis itineribus conterentur & humiliabuntur ſuperbi: quoniam eadem ſcientia, qua Deus omnia præcognouit, cuiúſque etiam actus diſcutiet, adeò vt nullus aut negare, aut diffugere poſſit. ſiquidem omnia in iudicium adducet Deus.

Theodoretus hoc etiam ad Chriſti meritum applicat, quo & dæmones, & eorum templa quæque in montibus & collibus diſſoluta ſunt & confracta, iuxta itinera æternitatis eius, id eſt æternam Dei diſpoſitionem.

Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ. Hîc Dei iuſtitiam & miſericordiam prædicat. Si quãdo Iſraël ab eo ad Deos Gentium & impios cultus deſciuerat: tum Deus per vicinos populos illum affligebat. Ex quo efficiebatur, vt Æthiopes & Madianitæ, qui in tabernaculis habitare conſueuerant, ſua tentoria ex pellibus potiſſimùm compacta, in terrã Hebræorum transferrent. *Vidi*, inquit Propheta, vt qui multas clades ab iis illatas perſpicere potuerim, ceu in ſacris hiſtoriis, quas ſic certò apprehenderim, ac ſi eas propriis oculis aſpexiſſem: aut quòd multæ meo tẽpore contingere potuerint, quorũ tamen expreſſè

Scriptura

Scriptura non meminerit. Vidi, inquam, hæc tentoria: id eſt, vidi concurrentes contra nos Æthiopes & Madianitas. Vidi & eorum tentoria, & pelles erectas in regione noſtra: vt qui non ſolũ eã excurrerent, ſed & eius vrbes obſiderent. Hoc autem factũ eſt *pro iniquitate*. Nec enim tam eorum dominandi libidine id videre contigit, quã Deo permittente, ad vindicandam populi ſui iniquitatem. Alioquin, ſi ex ſola hominum diſpoſitione, & Æthiopũ ambitione id inciderat, cur non & ſemper, & ſingulis annis id faciebant? Nunquid & ſemper Iſraëlẽ oderunt, & iugum ſeruitutis impoſuiſſe deſiderarunt? Nunquam deerat in Æthiopibus volũtas ſuperandi Iſraëliticum populũ: ſed tamen non niſi Deo permittẽte, ſeſe ad opus accingebant. Hoc autem fiebat *pro iniquitate*. Hoc quippè duobus exemplis confirmat Prius legitur Iudicũ 3. alterum Iudic 6. & 7. Priori quidem agitur de Chuſæ Reſathaim Regis Meſopotamiæ furore, incurſionibus & oppreſſionibus in Iſraëlẽ, per octo annos, non alia profectò ratione, quàm quòd obliti Domini, colere cœperãt Baalim. Poſteriori verò, de Madianitis, Amalechitis & cæteris Orientalibus, qui per ſeptem annos adeò oppreſſerunt Iſraëlitas, vt vaſtarent omnia, & nihil omninò ad vitam pertinens relinquerent, non oues, nõ boues, nõ aſinos, quia non audierant vocem Domini Dei.

Ex hoc loco colligimus, in his quæ tyrannicè fiunt, aut bellis, aut ſeditionibus, & qui-

buſuis oppreſſionibus, cauſam non tantũ eſſe requirendã in his qui talia moliuntur, quales ſunt turbulenti & ſeditioſi homines: ſed in Dei iuſtitia, & noſtra iniquitate. Licet enim impij ſemper fuerint, qui occaſionem requirerent ſuſcitandorum horum malorum, nunquam tamen Deus permiſit, niſi iuſta aliqua ratione, potiſſimùm verò *pro iniquitate.* Hoc autem ex eo manifeſtum eſt, quod adiicit, *Turbabuntur pelles terræ Madian:* id eſt, licet prophanæ illæ nationes multa contra Dei populum attentarint, & id Deus permiſerit pro iniquitate: ita tamen vt ſemper clauum & temonem retineret, nec tandiu eos præualere ſineret, niſi quandiu in cordis duritia perſeuerarunt. Vbi verò Iſraëlitæ ad Deum conuerſi ſunt, tunc miraculoſæ gentes illæ extraneæ proſtratæ ſunt, *& turbatæ ſunt pelles terræ Madian,* id eſt, deiecta ſunt illorum tentoria. Hîc autem quid aliud ô bone Deus, accuſemus quàm noſmetipſos, qui te in iram prouocamus? Suſcitantur bella, aut quæuis tuæ iræ flagella: ſed *pro iniquitate* noſtra, quia peccauimus, iniuſtè egimus, iniquè fecimus, vt & ipſe Daniel confeſſus eſt. Cæterùm nomen *Auen* ſonat omnem ſcelerum licẽtiam, & eam maximè, quæ in Dei cultum erigitur. *Turbanda* autem tentoria dicit, alludens ad illud ſomnium, quod militum quidam ex Madianitis ſocio ſuo narraſſe legitur.
Iud. 7. Vidi, inquit, ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, &

in caſtra Madian deſcendere. Cúmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit. Hoc cùm alter audiſſet, Gladius, inquit, Gedeonis eſt hic. At verò ſi ex figura ad veritatem progrediamur, Panis verus Chriſtus eſt, vt & ipſe teſtatur: & idem coctus igne charitatis, ſub cinere noſtræ mortalitatis. Hic idem Gladius eſt, Verbum Dei verum, penetrabilius omni gladio ancipiti: immò è cuius ore gladius vtraque ex parte acutus egreditur. Qui & gladium venit mittere in terram. Hic proſternit tabernacula, ceu ſectas omnes Æthiopum iſtorum ceu hæreticorum, eorum verò maximè, qui viuificã eius præſentiam in Euchariſtia negant.

Hieronymus ad mores etiam iſtius ſententiæ meditationem transfert. Æthiopes, inquit, tetri & amantes tenebras, & ab omni lûce alieni, qui draconis carne veſcuntur, de quo ſcriptum eſt, Dediſti eum eſcam populis Æthiopibus, dæmones intelliguntur, quorũ fit tabernaculum, quicunque in hoc ſæculo propter honores & diuitias laborarit: quod ſignificanter ſub vno verbo iniquitatis oſtẽditur. Omnis enim diues, aut iniquus, aut hæres iniqui eſt. Turbabuntur autem illa tabernacula, ceu pelles Madian: (eadem enim vtrorumque ſignificatio eſt.) Poſtquã enim ditati fuerint, & per fas atque nefas ad altiſſimũ gradũ conſcenderint, tunc cõſciẽtia peccatorũ ſuorũ, ſẽper mortẽ, ſẽper iudiciũ formidabũt, & ad leuẽ febriculã, quaſi latrones in

carcere: ita de ęternis ſuppliciis ſuſpirabunt.

ORATIO.

1 QVem enim non cõcutiat apprehenſio futuri tui illius iudicij, ô Chriſte? Quẽ etiam non alliciat tua in nos charitas, qui veneris in hunc mundum peccatores ſaluos facere? Terribilis tu quidem impiis, & his qui ſpem reiiciunt, quam quiſque in te, velut tutam anchoram, agnoſcit, qui magna fide gratiam tuam meditatus fuerit.

2 Tu quidem panis es viuus, qui cor noſtrũ confirmas, & hæreticorum, ceu Barbarorum tabernacula vnico impetu deiicis. Tu ſol in cœlo, nos aſpicis, diſſoluis Gentes, conteris montes, & colles humilias, vt omnes agnoſcant gloriam tuam.

3 Tu ſtas quidem à dextris Dei, donec terram illam viuentium electis tuis diuidas: & hîc, ſed meliùs quàm in arca, te præſentem doces & teſtaris in Euchariſtia, donec aduenias, vnicuique quod ſuum eſt redditurus, & ſorte diuiſurus hæreditatem tuam.

4 Interim igitur, tu qui à diebus æternitatis à ſumma & paterna maieſtate egrederis, contere brachium peccatoris & maligni. Concute & ſubuerte tabernacula iſtorum Æthiopum & Madianitarum, qui veniunt vt Eccleſiam populumque tuum diſperdant.

5 Scimus vtique pro iniquitate nobis hæc mala contingere: ſed miſericordia tua ſupergrediatur iudicium. Quoniam tuũ eſt regnũ, gloria, & iudicium, &c. Amen.

HOMELIA XIX.

Nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua? Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.

QVanta Dei ſit virtus, quanta reducendi ad eum totius orbis expectatio, ipſi præſagiebant, qui Conſtantini ſtatuam eleuarunt. Nam illum equo ingenti naribus & fremitu vim magnam ſpiranti impoſitum, iuxta Pegaſum illum, volandi opinioně præbenti, inſidentem ſic efformarunt: vt altera manu globum cum infixo crucis ſigno contineret: in ſymbolum orbis terrarum per crucem deuicti, & eiuſdem ad Chriſtum reducendi. Erit enim vnus paſtor & vnum ouile: &, vt ſcribit Paulus, Vbi plenitudo Gentium ſubintrauerit, tunc Iſraëlis reliquiæ ſaluæ fient. Magna quidem & cõtraria ſunt bella, diſcrimina, pericula, tentationes: ſed quis ſtabit aduerſus electos Dei? Quid contra eos, quos elegit Deus ante mundi conſtitutioně, vt eſſent ſancti & immaculati? Num oportet Chriſtum cœlo recipi, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum? Aporiamur, ſed non deſtituimur, inquit Paulus. *Niceph. in Ded. ad Andron. Imp.*

Hác in Deo noſtræ ſalutis anchorá cõiicere

oportet, vt ne fluctibus hui⁹ ſeculi ſubmergamur. Eſt & hoc fidelis Doctoris munus, vt ſi perſecutione prematur Eccleſia, erigat ſuorũ animos in fidei & conſtantiæ ſecuritatẽ. Hoc facit nunc Habacuk. Nam cùm captiuitatem præuiderit, adiicit & liberationem, argumẽto ſumpto ex aliis beneficiis, quibus etiam quantumuis afflicti & oppreſſi reſpirare poſſunt, & ſalutem expectare. Facit enim hæc meditatio ad confirmandam fidem noſtrã, & ad Chriſti beneficiũ exaggerandũ. *Nunquid in fluminibus, &c.* Quid enim eſt, quod tuo furori non cedat? Quid eſt hominum vis & potentia, ſi cum fluminibus comparentur? Hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus: homo verò quàm exilis eſt ſtaturæ? Quid mari furioſius? quid latius? quid periculoſius? Qui nauigant mare, enarrant pericula eius. Quid homo contra eius fluctus, & eleuationes? Quantumuis fortis ſit, num ad eius ſibilum horrebit?

Hora. Od. lib. 1.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui rabiem Noti
Primus, nec timuit præcipitem Africum.

Quòd ſi Deus in momento mare concutit, in momẽto ſedat: quid non contra homines prǫualeat? Quid enim eſt homo? Quid vermis cũ elemento? Alludit autem ad hiſtorias, quǫ legũtur aut de mari rubro, aut Iordane exſiccato: ac ſi diceret, Quis eſt qui populum tuũ in ſeruitutem redigere poſſit, aut eius libera-

tionem impedire, ſi tu illi adiutor eſſe volueris? Tyrannus forſan aliquis? An verò numeroſus exercitus? An ferrum, an minæ, aut celeres equi? An fortè, quia populus tuus inermis erit, inimici verò eius armati? An quia foſſis, aquis, montibus, immò vaſto mari & deſerto occluduntur, adeò vt euadendi nulla ſpes relicta eſſe videatur? Hæc omnia Iſraëli coniurata eſſe videbantur, cùm ægyptum egrederetur. At verò, *Nunquid in fluminibus iratus eſt furor tuus, vel in mari indignatio tua?* Si mare ipſum quaſi quodam fræno à ſuo curſu reuocauit, ſi exſiccauit, ſi peruium reddidit: quomodo non facilè conterat homines ægyptios, abiectiſſima velut animalia? Iam ſcilicet in flumina ira eius apparuerat, cùm Moſes illa in ſanguinem conuertit, adeò vt horreret ex his ægyptius potum ſumere. Nónne debuerat hoc ægyptios mouere, ne fortè ipſorum ſanguine flumina maderent, & Deum ſuorum ſcelerum ipſimet vltorem experirentur? Nam & ſol conuertetur in tenebras, luna verò in ſanguinem, antequàm veniat dies Domini magna & amara valde. Illi in ſimilem terrorem iam tenebras, iam ſanguinem viderant: nec tamen mouebantur, donec mare ingreſſi ſunt. Tunc ſcilicet *in mari indignatio* Dei apparuit. Cùm immiſſo vento exſiccatum, tandem recepto in ſecuritatem Iſraële, in eos reuoluebatur. Hinc & illa diuinę maieſtatis & furoris acclamatio: Fugiamus ab Iſraële,

Domin⁹ enim pugnat pro eis. Indignatio Dei eiuſdẽq́ue propitiatio erat in mari. Hæc quidẽ, ſi ſpectes Ægyptios: illa verò, ſi Iſraëlitas. Nam & ſimilis formæ nos ſaluat baptiſma, in nube & mari: vt nubis nomine Spiritus ſanctus, maris autem ipſa aqua intelligatur. Eodem autem myſtico mari ſpiritualis Pharao Sathan & exercitus eius ſuffocatur, & Iſraël ſaluus in Eccleſiæ ſecuritatem emergit. Sed

Ioſ. 3. & quòd Iordanis aquæ ex vna parte intumeſcebant adinſtar montis, inferiores autem in mare ſolitudinis deſcenderunt, donec omninò deficerẽt: etſi propitiationẽ in Dei populum teſtarentur, iram tamen eius in Gentes exprimebant. Sic enim Ioſué ad filios Iſraël: In hoc, inquit, ſcietis, quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethęum, Heuæum & Pherezęum, Gergezæum quoque & Iebuſæum & Amorrhæum. Cur autem iraſceretur inanimatis illis rebus, niſi

Greg. Nyſſ. propter homines, cùm in eorum gratiam ſint creatæ? Adde quòd ſi per aquas, cum Hieronymo & Theodoreto, numeroſam plebem intelligamus, quomodo non illa diuinæ iracundiæ flagella experiatur, ſi quando Dei maieſtatem ſua temeritate prouocauerit? Legimus quidem fluminis nomine dona gratiarum deſignari, Pſalmo 17. Fluminis impetus, &c. Ioannis 7. Flumina de ventre: primò ob fœcunditatem, ſecundò refrigerium. Vnde & diues requirit guttam aquæ,

Luc.15. Sed & aliquando impij, aquarum & maris nomine ſignificantur. Eſa. Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Apoc.17. Aquæ quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & Gentes, & linguæ. Venerit itaque impiorum exercitus adinſtar maris fremens, feruens, numeroſus, inflatus: ſedeat in eis meretrix Babylonica, ceu hęreſis, vt doctè interpretatur Hieronymus. Nunquid contra illũ indignatio Domini? Venerit vt abſorbeat & deglutiat pios & fideles: quid tandem? Ad eum exclamat Dauïd. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque in animam meam. Sed & ipſe conculcat fluctus, domat, & eis terminos conſtituit, vt non conuertantur operire terram. Nec enim permittit liberè impios in fideles ſuos graſſari. Vnde & hęc beneficentiæ confeſſio eſt: Niſi Dominus adiuuiſſet nos, paulominus abſorbuiſſent nos. Depingamus nos exercitum, non Pharaonis modò, ſed Sennacherib, Rabſacis, Nabuchodonozor: ille erat adinſtar aquarum quæ declinãt in præceps. Elatus modò vſque ad cœlos, ſtatim depreſſus eſt vſque ad abyſſos. Hęc nobis ſpes relicta eſt, quòd Dominus in momento poſſit hoc mare deprimere. *Tert lib. de fuga.*

Sunt qui aquas iſtas ad alueum Euphratis transferant, qui in tot riuos à Perſis & Medis deductus eſt, vt facilè tranſuadari potuerit, & ſic illi in Babylonem deuenerint. Atqui hoc diuini furoris erat argumentum. Vnde ſcilicet hæc prudentia, vnde virtus, vt tanto flu- *Lyranus.*

mini præualerent, niſi Deo permittente? Nec enim eſt virtus, nec ſapientia contra Dominum. Adeò nihil in rerum natura, ſine ſuo præſidio tutum eſſe docuit. In quo enim gloriabitur impi⁹? In populorũ numero & multitudine? Sed & quot ille diluuione abſorpſit, cùm in aquas furorem ſuum effudit? In montibus? At ille eos incuruat, & terræmotu deprimit. In mœnibus? Sed ceciderunt coram Iſraële ex Hiericho. In fremitu armatæ militiæ? Sed Ægyptios inuoluerunt flumina. In aquarum circũuallatione? Sed & illas exſiccat, aut aliò reducit: aut ſanè per eas viam

Annal. Aquitaniæ. facit. Sic exercitui Clodouei ceruia duce, cõtra Attilam: Sic Gaſpari filio Ardaburij ducis militiæ Honorij Imperatoris contigit. Nam per lacum Rauennæ ſubiectum, olim tamen inuium, ei Angelus in habitu paſtoris ſe ducẽ

Niceph. li. 14. c. 7. præbuit: ita vt Ioannem tyrannum vrbe capta, in ſuam poteſtatem reuocarit, ſimul & patrẽ ſuũ eripuerit. Sed & quid nõ poſſint è cœlo miſſa fulgura, cùm quinque vrbes abſorbuerint? Quid nõ ignis, cùm duos quinquagenarios, qui Helyam vocabant, combuſſerint? Hæc eſt illa Dei virt⁹, quæ concutit omnia: quam rurſus exaggerat Habacuk, *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Hoc ad literam referri poteſt ad equitatus

Dionyſ. Carthu. & Hier. Perſarum & Medorum, qui Deo auxiliante Chaldæos vicerũt. Propter quod dicitur De⁹ aſcendiſſe eorum equos, quoniam bellum iſtud Deo inſpirãte factum eſt. *Et quadrigæ tuæ,*

id eſt, Perſarum & Medorum currus, quos tu dirigebas in Aſſyrios, *ſaluatio* ſũt Iſraëli. Hinc enim factum eſt, vt Perſis victoribus, Cyrus ipſorum Rex populum Hebræum ſoluerit, & in patriam reſtituerit, cum theſauris omnibus. *1. Eſd. 1.*

Ex his colligimus, Deum ita moderari regna & imperia, vt cùm voluerit, illa in ſtatu retineat: cùm voluerit, ſubuertat & eneruet.

2. Velle autem ſubuertere, non niſi iuſtè, prouocatum ſcilicet hominum ſceleribus & iniuſtitijs, duobus nunc exemplis manifeſtum eſt. Ecce ſcilicet quando voluit, Iſraël à Nabuchodonozor deuictus eſt, & in captiuitatẽ reductus, & iuſtè quidẽ, vt Propheta docuit: quando autem voluit, illorum pœnitentia allectus, eos per Cyrum reduxit. Alterum exemplum à Babylonijs deſumi poteſt, quos tãdiu Deus paſſus eſt ſummo rerum culmine frui, donec tot eorum, maximè verò Nabuchodonozor, impietatibus laceſſitus, ſuſcitauit Perſas, qui ſummam illorum imperii ſibi vendicarent. Ita non in curribus aut equis, nec in fortitudine ſua roborabitur vir. Et niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Ex quo fit, vt Homerus poſt Heſiodum hæc ſummo Ioui tribuat, quòd ſit Pater & Rex ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Homerus.*
Heſiodus verò Theogoniam explicãs, dicat:
ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Orpheus *Heſiodus.*

Orpheus. verò omnium antiquiſſimus, & qui in Ægyptum profectus, multa ex noſtris literis didicit: hæc ad ſcripturam ſacram habet proximè, ἐστι δὲ πάντως

αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ,
ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων ἅμα καὶ μέσον ἠδὲ τελευτήν,
ὡς λόγος ἀρχαίων.

Eſt ipſe, inquit, omninò cœleſtis, & ſuper terram omnia perficit: principium ipſe habens, ſimul medium & finem, vt antiquorum eſt ſermo. Iam cùm omnium antiquiſſimus fuerit Orpheus, quos antiquiores intelligit, niſi Hebræos, à quibus Chaldæi & Ægyptij profunda illa exuſſerant? Nam & de ſapiētia dicitur, quòd pertingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Sed & eadem hæc infert: In omni populo & in omni gente primatum habui. Et omnium excellentium & humilium corda propria virtute calcaui. Quod maximè deſignant ipſa etiā aſtra, ad eius nutum inſtituta: quæ quoties rerū & ſtatuū mutationes præſagiunt? Nam & illa poſita ſunt in tempora & menſes: nec in tempora ſolùm explicarim, pro annis, vt apud Danielem, & in Apocalypſi: ſed & pro ſtatu rerum, vt Act. 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, &c. Sic enim minatur Dominus: Mittam ſigna de cœlo ſurſum, & prodigia de terra deorſum. Et idem: Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis. Sic iris in fœdus, ſic

Eccl. 24.

Luca lib. 1. Pharſali.

-Terris demutans regna cometes.

Quin & equites armati videntur in aëre. 2. Machab.5. Hic autẽ cùm omnia moderetur, & aſtris imperet, quomodo non in illorum ſignificationibus, ſuas comminationes, ius etiã imperij oſtendat?

Irenæus, Terrenum, inquit, regnum poſitũ eſt à Deo. Sed & diſtinguit inter eos qui ius habent, ne fortè fruſtrà malos Deum ſinere arbitremur. Quidam, inquit, illorum ad correctionem, & vtilitatem ſubiectorum dantur, & conſeruationem iuſtitię: quidam autem ad timorem, ad pœnam, ad increpationem: quidam autem ad illuſionem & contumeliam. *Irenæus lib. 5. in Valent.*

Origenes verò magiſtratus etiam improbos dari à Deo in pœnam pro peccatis docet, Saulis exemplo, qui ſecundum populi peccatoris meritum, electus fuerit. Sic Salomõ, Deus, inquit, regnare facit hypocritã propter peccata ſua. *Hom. 4.*

Ex his ſequitur, quòd ſtatus Regum ab ipſo pendent, immò & ſtatus regni. Transfertur autem de Gente in Gentem propter iniuſtitias. Abſit igitur, vt quis è creaturis cauſas illas requirat: id eſt, ex aſtris: requirendæ ſunt ab eo qui ipſis dominatur, & in ſuæ voluntatis & prouidẽtiæ argumentum ipſa inſtituit.

Interim notandum eſt, non iniuſtè Deum hæc ſinere, ſicut nec inter Hebręos, nec inter Babylonas. Quid enim aliud agit per Prophetas ſuos, quàm vt ſui pœnitẽtiam agant? alioquin minatur eos breui Gentili gladio interituros. Quòd ſi quis arguat, Gentes diu ſua

imperia conſeruaſſe, Perſas nimirùm, Grȩcos & Romanos, & tamen nec Dei ſummi, nec pietatis veram cognitionem habuiſſe: nos
Rom. 2. cum Paulo reſpondebimus, Quòd Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut defendentium. Vbi ergo illi ius illud naturȩ infregerunt, quo & Deum colere, & vnicuique quod ſuum eſt, reddere docemur: tum etiam regna & imperia debilitari cœperũt. Sed forſan quis obijciet,

-*Quæ læſi numinis iræ?* cùm ipſi idola co-
q. 33. in Leuitic. lerent? Reſpondet Theodoretus, intentionem ferri in Deũ, etſi diſcretio in illo cognoſcendo erret. Vnde fiat illis in peccatum. Hoc confirmat hac lege, Qui maledixerit Deo,
Leuit. 24. portabit peccatum: qui verò nominauerit nomen Domini, morte moriatur. Deum extendens etiam ad eum quem opinione conceperis: ita vt blaſphemia conſequatur, non propter eius, cui blaſphemia infertur, dignitatẽ, inquit: ſed propter eius qui blaſphemat, opinionem, quia nõ vt Deum falſò nominatum, ſed tanquam verum Deum blaſphemat. His addere poſſumus ſimilitudinem. Sit aliquis malè affectus in Regem, vt Scæuola in Porſenam. Hũc interempturus, alium quem Regem eſſe credat, interimat, vt Scæuolæ, & a-

lijs multis cõtigit: nũ inde reus erit effuſi ſanguinis regij? Itaque Reſpublicæ etiã, quæ falſa numina habebãt, collapſæ ſunt, relicto cultu: non quia hæc vera numina erant, ſed quia deos illa eſſe credentes, ſuo etiam iudicio verũ in illis Deũ contemnerent. Et quidẽ de Iſraële, & de Nabuchodonozor veri⁹ eſt argumentũ. Nam Iſraël verum Deum nouit & coluit: Nabuchodonozor item, cùm tres pueros igni expoſuit.

Cæterùm Hieronymus has quadrigas & equos ita ad Chriſtum refert. Quæro, inquit, equos ſuper quos aſcendat Dominus, & puto non eſſe alios, niſi ſanctorum animàs, ſuper quas aſcendit ſermo diuinus, vt ipſas ſaluet, & alios per eas. Ponamus equorum exempla. Sponſus loquitur in Cantico canticorum: Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilaui te proxima mea. Quòd omnis anima ad Deum comparata, quamuis ſancta ſit, quaſi currus Pharaonis ſit, & iumentum. Vnde & Moyſes loquitur ad Dominum: Ego ſum ἄλογος, id eſt irrationalis. Et Dauid: Vt iumentum factus ſum apud te: Non quòd abſolutè iumentum ſit, ſed quòd apud Deum iumentum ſit. His equis illi contrarij ſunt, quos habet Pharao, de quibus dicitur: Equum & aſcenſorem proiecit in mare. Huiuſcemodi equitatio, non eſt ſalus, ſed perditio. Quæramus & alios equos, in quibus aſcendit Dominus. In quarto regnorum libro legimus, ſurrexiſſe manè miniſtrum

Hier. l. 2. cõm. in Habac.

Cant. 1.

Exod. 4.

4 Reg. 3.

Heliſæi, & egreſſum vidiſſe exercitum ambientem ciuitatis muros, & equos & currus. Diligenter attende. Equi & currus videbantur, & tamen in tantis millibus nullus erat aſcenſor. Horum enim ille auriga erat & re-
Pſal. 97. ctor, de quo Pſalmiſta canit, Qui ſedes ſuper Cherubim oſtendere. Talibus equis talique
4. Reg. 2. curru & Helyas raptus ad cœlum eſt. Si quis
Zach. 1. autem de Zacharia vult diſcere, quid ſint equi rufi, & qui nigri, & qui albi, & qui varij egredientes de myrthetis, & de montibus in profundo poſitis, ſiue vt in Septuag. ſcriptum eſt, æreis, latior quædam meditatio requirenda
Apoc. 6. eſſet. Vidit & Ioannes equos candidos, & ſeſſores eorum, è quibus corpora in gloria reſurgentium puto eſſe equos candidos, ſeſſores autem ſanctorum animas. Si quis verò peccator eſt, & mei ſimilis, ſedebit in equo nigro, & de eo dicetur: Dormitauerunt omnes qui aſcenderunt equos.

Equi verò Domini & ipſi cãdidi ſũt, quales Nazaręi eius Apoſtoli. Aſcendit enim Dominus in Paulo: aſcendit in Petro, & in huiuſmodi curribus equitans totum luſtrauit orbẽ.

ORATIO.

1. TV ergo Auriga Iſraël, & rector populi tui, ne nos deſeras in tempore malo, ſed adinſtar equorum, fræno correptionum tuarum retine, & per ſalutis viam dirige.

2. Ne fide ſublata nos in prædã Barbaris tradi permitte, ſed potiùs abſcinde eos qui nos cõturbãt, & ſupplãta inſurgẽtes aduerſum te.

3. Qui-

3. Quibus enim non præualeas, cùm voluerîs? Ecce fluctus maris tu retines, ventis imperas, & quaſi quodam curru & equis vectus, tonitru aërem iſtum, immò totum orbem cõcutis. Quid ergo non poſſis contra impios?

4. Verùm nunc manent nos iracundiæ tuæ flagella, quia peccauimus in te. Quo enim tempore floruit religio & pietas, terrori fuimus Turcis, Barbaris, & exteris nationibus. Nunc in opprobrium dati ſumus, quia nõ ſanctificamus nomen tuum.

5. Tu tamen propter temetipſum inclina Deus, & in fluuios iſtos indignationem tuam effunde, & omnia in ſalutem electorum tuorum dirige. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XX.

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es. Fluuios ſcindes.

NOn ſemper is probatur medicus, qui vlceri ſtatim cauterium, aut vſtulationẽ admouet: nec Princeps, qui violentia in delinquentes vtitur: ſed ille qui maturum vlcus, alter verò qui facti euidentiam & deducendi in cæteros melioris exempli ſpẽ certam concipit. Hæc ſi quis perpenderit, non facilè mouebitur à ſua ſpe, quam in Deum coniecit, ſi viderit illum impios ſinere, nec ſtatim vindices illis pœnas indicere. Num

ſcilicet exurget aliquando Deus, tanquam potens crapulatus à vino? Plutarchus, etſi Gentilis, hoc vno libro concludit, cui titulum fecit, De his qui ſerò à numine puniuntur. Et primùm quidem, quòd ex illa ſupplicij dilatione, fides prouidentię apud multos concutiatur. Nam iuſtitia illa, quæ paulatim, & vt Euripidi viſum ait, tardo pede & vtcunque malis ingruit, ob incertitudinem ac dilationem, à caſu potius quàm à prouidentia quibuſdam pendere videtur. Atqui, inquit, Pindarus principem omnium & Dominum Deum ariſtotechnam, id eſt artificum præſtantiſſimum vocat: quippè iuſtitiæ adminiſtratorem, quæ ius habet determinandi quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum ſit puniendus. Hoc quidem ille ſemper docuit, tum verò maximè, cùm nec ſtatim populum ſuum in captiuitatem deduci, aut Chaldæos ipſum opprimentes à Perſis ſubiugari, aut orbem ſuorum prædicatione ad libertatem vocari, Sathanam verò conteri voluit: ſed ſtatuto tẽpore. Hoc explicat Habacuk, his verbis, *Suſcitans ſuſcitabis arcũ tuũ*. Septua. ita legunt, ἐντείνων ἐντενεῖς, extẽdẽs extẽdes. Hebr. *Eriah theor*, denudatione denudabitur. Arcũ autẽ dicit vindictã: vt apud Pſaltẽ, Arcũ ſuũ tetendit, & parauit eũ, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardẽtibus effecit. Sic & Homerus Apollinem ἑκήβολον, longè iaculantem vocat, & illum peſtem immittentem in Græcorum exercitum ita depingit:

Plutarc.

τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην. *Iliad. α.*
Sed & Deus tſebaoth, id eſt exercituum, & Angeli exercitus militiæ eius nuncupantur. Atqui præcipua vis olim erat in arcubus. Hoc igitur idem eſt ac ſi dicat: Videris ſagittas tuas in pharetra continere, quaſi nihil noſtræ defenſionis cura te moueat: Attamen tandem extendes arcum tuum. Quis enim putet Deum tamdiu diſſimulaturum peccata, vt non puniat? An non vidit ſceleratos illos Chaldæos, cùm Iſraëlē opprimerent, cùm nomen ſuum blaſphemarent, altaria polluerent, diruerent, ſacrificia prohiberent, tēplo etiā toti orbi celeberrimo ignem immitterent? cùm ſacrilegis manibus ſacra vaſa, & precioſam omnem ſupellectilem diriperent? Cur ergo non ſtatim perdidit? Cur non ſuo fulgure conſumpſit? An non ſeueritatem iuſtitiæ ſuæ in alios oſtendit, qui minus peccaſſe videbantur? Filios Eleazari flamma conſumpſit, quòd alienum ignem vſurpaſſent. Ozam percuſſit, qui & ſtatim mortuus cecidit, quòd labantem arcam ſuſtentare, & attingere auſus fuerit. Ioſiam Regem lepra aſperſit, quia incenſum offerre auſus eſt. Hæc ex ſacris ſcripturis exempla depromit Dionyſius, colligens magnum iudicium eos manere, qui prophanas manus ſacris myſterijs immittunt. Cur ergo tam ſeuerus in eos Deus extitit, non item in Chaldæos? Vtique quòd tantò grauius eſt peccatum perfidię, & contēptus, in eum qui fidem & honorē *Ad Demophilum.*

iurauit. Grauius fuit Eleazaro & Ioſiæ, qui aliter didicerat. Sed & in exemplum domeſticum hoc cõtigit Ozæ & aliis, ne fortè quis temeraret ſacra illa. At verò Chaldæi alieni erãt, Ethnici, quos adhuc Dominus expectabat ad pœnitentiam, ſi fortè populo ſuo captiuo credidiſſent. Sed & per ſeptuaginta annos captiuam detineri plebem ſuam volebat, donec exacta pœnitentia, & errore relicto, & pœna patienter tolerata, Perſis irruentibus, Chaldæorum autem imperio diruto, ad propria remitterentur. Tũc *ſuſcitauit arcum ſuum*, cùm Perſarum miniſterio ſcelera & contemptũ nominis ſui in Chaldæis vindicauit. Non

Rom. 13. eſt enim poteſtas niſi à Deo: etſi voluntas ſit alia à Deo, vt cùm ait, Volui congregare, &

2. *Mat.* 3. noluiſti. Sic enim conqueritur, Me dereliquerunt fontem aquarum viuentium, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas: quòd ſibi cõtraria pararint conſilia. Itaque ſi quid Sathã, ſi quid impius in alterum moliatur, etſi hoc conſilium à ſe habuerit, nihil tamen exequi poteſt, niſi Deo permittente. Hinc fit, vt ipſe verus & iuſtus iudex, etiã per impios nos flagellet & puniat. Sic, vt canit Pſaltes, agnoſ-

Pſal. 77. cimus immiſſiones per Angelos malos. Quales nimirùm exprimit Ægyptijs immiſſas, cũ dedit ærugini fructus eorum, & tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni. Sic, inquit, miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos. Quẽ-

admodum ergo in Ezechiele gladium Nabuchodonozor, ſuum ipſius gladium nuncupauit, quia diuinæ iuſtitiæ fuit executor, Cùm cœperit, inquiens, gladius meus volare: ita nunc & gladius, & quadrigæ, & equi Perſarum, Deo ipſi tribuuntur: quia eorum medio ſuam in Chaldæos iuſtitiã exercet. Sic Deus vtitur etiam impijs ad vindictam, etſi nec ipſi abſint à crimine, quod aliâ quàm Deus volũtate ferantur. Plutarchus, Malis quibuſdam tanquam carnificibus vſus eſt Deus, inquit, ad ſumendas de alijs pœnas: quod verum eſſe de pleriſque tyrannis arbitror. Quẽadmodum enim fel Hyænæ & Phocæ, aliorumq́ue fœdorum animalium coagula, aliquid habent ad morbos ſanandos vtile: ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus Deus inijciens tyranni alicuius ſæuitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem, non antè id quod excruciabat, ſuſtulit, quàm vitioſos morbo liberaſſet ac purgaſſet. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis. Nam & Orthagoras tyrannus, & poſt eum Myro, & Cliſthenes Sicyoniorum laſciuiæ finem impoſuerunt. Verùm & hoc quibuſdam mirum eſt, quòd per ſchiſmaticos & degeneres filios Eccleſiam turbari Deus permittat. Reſpondet autem Auguſtinus. Peccatoribus vtitur Deus ad probandum iuſtũ, quomodo vſus eſt diabolo ad probandum Iob, & Iuda ad tradendum Chriſtum. Eſt ergo in hac vita quod agatur de

Dionyſ. Carthuſ.

Lib. de his qui ſerò à numine puniuntur.

In Pſal. 56

peccatore. Hic eſt ergo locus eius, quomodo eſt in fornace aurificis locus paleæ. Ardet palea, vt aurum purgetur: ſic ſæuit impius, vt iuſtus probetur. De peccatore fecit Deus flagellum, dedit ei honorem, dedit ei poteſtatem. Emendantur inde pij: peccatori autem illi hoc redditur, quod debetur. Cęterùm Septuaginta aliter legunt quàm Latini. Hanc enim tribulationem ad Reges potiſſimùm referunt, cùm ſic vertunt, Extendens extendes arcũ tuum, ἐπὶ σκῆπτρα λέγει κύριος, id eſt, ſuper ſceptra, dicit Dominus. Nam potentes

Sap. 6. potenter tormenta patientur. Ita deſignant mutationem imperij Babylonici, quod tot ſceptra ceu regna complectebatur. Summa autem hæc calamitas. Concuti enim poteſt Reſpublica, ſed ſceptrum mutari non facilè poteſt, niſi diuino quodam & aſperrimo furore. Maximè peccarat Saul, præuaricatione præcepti, cęde ſacerdotum, oraculo Phitoniſſæ: & licet familiam eius Deus eiecerit, ne ſuccederet, non tamen omninò ipſum regno ſpoliauit. Peccauit Salomon, & tamen illum paſſus eſt Dominus. Grauis exactor fuit Roboam, neque tamẽ vniuerſus Iſraël ab eo deſciuit. Quot idololatriæ impietates & ſcelera? neque tamen ſtatim ſecuta eſt imperij mutatio, niſi cùm induruerunt. Fuerunt Regum alij lepra percuſſi, alij à ſuis cæſi, alij cathenis vincti, alij Gentilibus tributarij facti: non ſucceſſit tamen mutatio ſceptri, niſi vbi ad ſummum malicia proceſſit.

Quod autem legimus, *Iuramenta tribubus quæ locutus es*, accedit ad Hebraicam dictionem, *Seuuoth Mathoth Omer*, Iuramenta tribuum. Dictum. Eſtque ſenſus: Non dereliquiſſe Dominum plebem ſuam, quantumuis afflictam, oppreſſam, & diu captiuam: ſed recordatum fuiſſe pacti, & iuſiurandi ſui ad patres & eorum tribus, quo pollicitus fuerat ſe illos reducturum. Hinc factum, vt Cyrum ſuſcitaret, & vindictã de Chaldæis ſumeret. Nam & hoc per Moſen, Eſdram & Hieremiã Deus promiſerat, dicens: Si reuerſi fueritis ad me in toto corde veſtro, etſi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & inducam vos in terram quam dedi patribus veſtris. *Omer*, dictum, per appoſitionem intelligitur, ad vim maiorẽ: quod & dictio *Selah* deſignat, quam diximus, indicem eſſe eleuationis vocis canẽtiũ in dictione præcedẽte. Eleuatio aũt illa fiebat, vt & ipſo cãtores & auditores ad ea quę canebãtur, attẽtiores redderẽtur. Quid enim magis attẽdere debeãt, quàm ſuæ fidei & expectationis argumẽtum? Atqui hoc ſitum eſt in illis iuramentis & pactis quæ pepigerat Dominus cum tribubus Iſraël. Hoc eſt *Omer*, hoc dictum, hæc Dei promiſſio.

Hæc autem ſi ad veritatem perduxerimus, quomodo nõ per Chriſtũ impleta videamus, quæ tunc adumbrabãtur, iuramẽta illa tribubus facta, & quod cecinit Zacharias, Iuſiurã- *Luc* 1.
dũ quod iurauit ad Abraham patrem noſtrũ, daturum ſe nobis, vt ſine timore de manu ini-

micorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. In ſanctitate, &c. Sic enim interpretatur ille & iuſiurandum Dei, & illius conſummationem, cùm Chriſtus aduenit, vt nos à ſeruitute Babylonicæ meretricis eriperet. Nã, vt prædixit Eſaias, Virgam & iugum oneris eius ſpoliaſti, ſicut in die Madian. Fuerint ſcilicet illæ Sathanicæ impoſturæ velut aquæ mundãtes, vt nos opprimerent: cùm & aquarum & fluminum nomine, Aſſyriorum multitudinẽ Eſaias ſignificet, dicens: Adducet Dominus ſuper Iudam aquas multas & fortes, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius. Atqui *Hieron. in Nahum.* Aſſyriorum Rex, principis tenebrarũ Sathanæ non minus quàm olim Pharao typum geſſit. Chriſtus itaque Aſſyrium principem, Sathanam nimirùm deuicit, & confudit. Et primùm quidem ſuum in eum furorem aperuit, cũ in ſacro fonte baptiſmatis nos ſibi a- *Aqua.* ſciuit, & omnem Sathanę impetum fregit. Nũ ſcilicet iratus es in fluminibus Domine, cùm baptiſma non modò nobis ſit in ſalutẽ, ſed & in Sathanæ perniciẽ? Vt enim vnus idemq́ue Chriſtus poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum: ita vnam eandemq́ue aquam Chriſtus inſtituit in ruinam Sathanæ, & reſurrectionem noſtram. *Aſcendit* autem *ſuper equos ſuos*, cùm animas iuſtorum ſelegit, in *Equi.* quibus ſederet. Theodoretus. Sacris Apoſtolis, tanquam equis quibuſdam vectus, omnibus credentibus ſalutem attulit. Eos etiam vaſa, quibus portetur, nuncupat. Hoc

autem huic ſimile eſt, quod quadrigas dixit. Ait enim Ananiæ de beato Paulo, Vas electionis eſt mihi iſte, &c. Quadriga autem à biga differt, quòd quatuor rotas habeat: vt in illo numero Euangeliſtæ commendentur. Quadrigæ autem illius ſunt Euangeliſtæ, iuxta viſionem quam Zacharias Propheta deſcribit. *Hieron.*

Sed & Angeli Dei currus dicuntur, decem millibus multiplices, quòd Dominus in eis in Synai in ſancto. Per has quadrigas ſaluatio nobis contingit: nam ſalutem noſtram, & Chriſtum noſtrũ docent Euangeliſtæ: et ipſi Angeli in circuitu timentium eum, vt eripiãt eos. Sunt enim adminiſtratorij ſpiritus, his qui hæreditatem accipiunt ſalutis: ſunt & in ſalutẽ Iſraëlis miſſi cõtra Amalech, deduxerunt per deſertum. Vnde dictum Ioſue, Angelus meus præcedet te. Michaël præpoſitus populi Dei dicitur. Quin & pugnaſſe cum antiquo ſerpente, &c. Angelus cõtra Sennacherib pro Ezechia, contra Syrios pro Helyſæo dimicarunt. Quomodo igitur non magna nobis ab his ſaluatio contingat? Et quidem hoc ipſo magis, quòd in Chriſto renati ſimus. Nam vt fugantur à nobis dæmones, ita ad nos accedunt, & familiariores redduntur Angeli. In typum huius, Angeli aſcenderunt & deſcenderunt ſuper filium hominis, baptiſatum. *Currus.*

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum. Hoc quomodo in Chriſto impletum eſt? An venit bellum

indicere, & non pacem? An venit iudicare, qui venerat miſereri? Sed nos vtrunque fatebimur, ſi modò diſtinctionem admiſerimus. Ait enim, Non veni pacem mittere, ſed gladium, & diuidere filium à patre. Et idem tamen, pax noſtra dicitur, & pacem toties cõmendauit. Quin & de eodem Eſaias: Conflabunt gladios ſuos in vomeres, lances ſuas in falces. Rurſus idem ait: Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum. & tamen alibi: Nunc, inquit, iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur. Sed & hîc promittitur, quòd *ſuſcitabit, et extendet arcum ſuum*: & tamen Eſaias, Nõ leuabit, inquit, Gens cõtra, Gentẽ gladiũ & non

Cap. 2. exercebuntur vltrà ad prælium. Et Pſaltes alibi: Confregit potentias, arcum, ſcutũ, gladium, & bellum. Hæc verò quomodo intelligi poſſũt, quòd ſit pax, & bellum inducat: quòd neminem iudicet, & tamen iudicium factum ſit: quòd arcum confregerit, & tamen extendat? Vnica reſolutione diſcutiuntur hæ ſententiæ: Non iudicat hominem, ſed

Tertull. l. ad martyr. Sathanam, & infideles: è quibus iam trophæũ reportauit: eſt pax noſtra, ſed bellum Sathanæ & vitiis, quod ad hoc vſque indixit, vt eapropter potius calcemus medium patrem, & ad vexillum crucis contendamus. Ait enim: Qui diligit patrem & matrem pluſquã

Hieron. ad Heliod. me, non eſt me dignus. Confregit etiam arcum, id eſt virtutem Sathanæ, & tentationes eius, ceu ſagittas igneas. Interim tamen *ex-*

tendens extendit arcum ſuum. Sed requirendus eſt arcus eius ex ſcripturis. Theodoretus. Hoc permultùm conuenit cum his quæ à Dauide dicuntur. Intende proſperè, procede & regna. Et deinceps: Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis. Auguſt. Hieronym. & Lyran. Arcus igitur ſacra ſcriptura eſt, cuius ignita eloquia audientium corda penetrant, & charitatis vulnere ſauciant, ita vt dicant: Charitate vulneratus ſum. *Cant. 2.* Verbum enim Dei penetrabilius eſt omni gladio ancipiti. Vnde & Chriſtus de ſeipſo loquitur per Eſaiam: Poſuit me quaſi ſagittã electã. *Eſa. 49.* Hunc arcũ ſuſcitat Deus, cùm prædicatoribus & ſeruis ſuis electis infundit gratiam loquendi aliis fructuoſe ac feruidè, ſecundum quod orat Apoſtolus, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei. Auguſt. in Pſal. Sunt etiam ſcripturæ velut iacula, quibus confodiantur hæretici, ſchiſmatici, & omnes infideles. Et ſic *ſuſcitauit iuramẽta tribubus Iſrael, quæ locutus eſt*: impleuit enim quæ promiſerat. Non enim hæc impleta ſunt, cùm vicit Amalechitas, Ammonitas, ipſos etiam Chaldæos & Aſſyrios: ſed cùm pernicioſiores, & diuturniores hoſtes animæ contudit, virtutes & poteſtates tenebrarum, triumphans de illis in cruce. Nec illa impleta ſunt, cùm dedit eis frui terra viſibili: terra, inquam, illa, quam Gentiles poſſederant: ſed cùm fecit nos regni cœleſtis & illius terræ viuentium parti-

cipes. Hęc enim erat vera promiſſionis terra, quam omnis boni fœcunditas conſequatur.

Fluuios ſcindes. Sciderunt Perſæ Euphratem in plures riuos. Chriſtus diſtribuit gratiarum dona, varia genera linguarum, gratias ſanitatum, &c. Theodoretus. Et quemadmodum agricolæ in foſſas deriuãtes fluuios, irrigationem terræ machinantur: ſic flumina diuinos Apoſtolos, & illos qui cõſecuti ſunt, deriuauit in populos multos, & diſtribuit, vt gratiæ ſementem afferrent. ſic enim Spiritus ſanctus: Segregate, inquit, mihi Barnabam & Paulũ, in opus ad quod aſſumpſi eos. Et Eſai. 55. Ponam in deſerto, id eſt, Gentilitate flumina. Sed & ſciſſo Chriſti latere, profluxit aqua & ſanguis. quod & typicè Ezechiel viderat, Aquam ſcilicet egredientem è latere dextro.

ORATIO.

1 Itaque tu Deus verax, iuſtus & miſericors. Iuſtus quidem, qui vindices, miſericors qui noſtri minimè obliuiſcaris, ſed humilem & contritum aſpicias & ſuſcipias. Extendens extẽdiſti quidem arcum tuum, cùm vindicas peccata patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem: cùm permittis tot ſeditionibus & bellis nos opprimi, & hæreticorum furore agitari.

2 Sed tamẽ veritas tua vſque ad nubes. Itaque vbi ſunt iuramenta illa, quæ tribubus locutus es? vbi illa tuarum miſericordiarum fœdera, quòd errãtes oues reducturus, ægras

curaturus, infirmas confortaturus ſis, & ipſis paſcua neceſſaria communicaturus?
3 O ſi hæc noſtris temporibus gratiarum vbertas profluat! Tum quidem ad pacem diſcordes, ad Eccleſiam errantes, ad obedientiam rebelles, ad religionem impios, ad tranquillitatem turbulentos reuocares.
4 Splenderet hîc tuus popul⁹, ſceptra etiam illuſtrarentur, congauderent Principes, reſpirarent omnes.
5 Hoc verò quanta ſecuritate expectare debeamus à te, facit Chriſtus ille tuus, qui baptiſmo nos ſibi conſepeliit, Sathanæ exercitum fudit, & tot gratiarum dona Eccleſiæ ſuæ diſtribuit. Ergo hoc in nobis perfice, quod in eodem filio tuo promiſiſti, &c. Amen.

HOMELIA XXI.

Viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit. Dedit abyſſus vocē ſuā, altitudo manus ſuas leuauit.

MAgnum eſt in corpore & fortunis torqueri, ſed maius in animo: tanto nimirùm, quanto anima corpore nobilior eſt, & viuacior. Ex quo efficitur, vt Deus quandoque ſinat pios affligi in corpore, quos tamen exhilarat in anima: & impijs è contra non modò temporales & corporales pœnas

commínetur, ſed ſpirituales, quæ continuò mentem excrucient. Vt cùm legimus apud Eſaiam, Vermis eorum non morietur. Mente ſcilicet concuti recordatione priorum impietatum, ſed & ipſius ſtatus, è quo propter ſcelus deiecti fuerimus,

- Siculi non inuenere Tyranni

Tormentum maius. Hoc etiam inflixit Dominus impiis, vt recordētur impietatum cum extrema anxietate, & piis ſtantibus ſeipſos cecidiſſe conſiderent. Laſſati ſumus in via iniquitatis, inquiunt, & iactantia diuitiarum noſtrarum quid profuit nobis? Ecce verò hi quos habuimus in cōtemptum, computantur inter filios Dei. Hac ratione Dominus *Geneſ.3.* Adam conſtituit è regione Paradiſi, & Lazarum vidit in Abrahæ ſinu diues ille Epulo, *Luc.15.* cùm eſſet in tormentis: quin & ipſe Sathan bis diſcruciatur, cùm videt nobis Chriſti beneficio peccata condonari, & ſic eripi nos ex illa quam incutit ſeruitute. Hoc primũ Chaldæis contigiſſe docet litera Prophetica: cùm viderent ſe iuſtè depreſſos à Perſis, & Iſraëlitas illos liberos in ſua remitti, quos tanta cum ignominia captiuos reddiderant, & detinuerant. Sed hæ ſunt rerum vices, vt qui in captiuitatem duxit, in captiuitatem deducatur: qui alios riſit, ipſe rideatur. Hoc ſuperiori capite Habacuk dicens, Qui prædatur, prædabitur, nunc etiam explicat. *Viderunt te.* Sunt *Cyr.* qui hoc ad aquas referant: non quòd illis videndi ſenſus ſit, ſed per modum quendam.

Quòd expertæ ſint Dei omnipotentiam, ſiue illę in mari rubro,ſiue in Iordane ſteterint, ſiue per Perſas diuiſæ fuerint. Sic Pſaltes, Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Solet enim ſcriptura rebus inanimatis ſenſum tribuere, non quòd hic in illis ſit, ſed quòd non minus, immò obediẽtiores ſint Deo, quàm illa quæ ſenſum & intellectum habẽt. Gloſa, & Dionyſius Carthuſianus, hoc ad Perſas referũt, vt quibus tã bene ſucceſſerit in deducẽdo per multos riuulos Euphrate, vt verè agnouerint hac in re Deum præſentẽ: neque hoc conſiliũ ab hominibus, ſed à Deo fuiſſe. Rabbini hoc referunt ad eos, quos mõtium nomine deſignat. Quòd ſi cui difficile videtur, quòd Perſæ & Chaldęi Deum Iſraël viderint, cùm infideles eſſent, meminerit Ægyptios acclamaſſe, Deum pugnare pro Iſraële: Magos acclamaſſe in Moſis operibus, Digitum Dei eſſe: & Centurionem ex ſignis eouſque adactum, vt profiteretur filium Dei eſſe illum qui patiebatur. Vt enim Talpas in ipſa morte oculos aperire contingit: ita peccatores

Aquæ.

Perſæ.

Montes.

- incipiunt ſentire, peractis
Criminibus, tacita pallent præcordia culpa.

Ergo vel inuitus vidit Epulo Lazarum, vel inuiti etiam Chaldæi coniecerunt Perſas flagellum eſſe Dei: neque in hominum, ſed Dei virtute progredi. Sic ergo viderunt Deum eis præſentem, cùm illorum iugo ſubmiſſi fuerunt. *Luc. 16.*

Et doluerunt montes. Septuag. ϗ ὠδυνοῦσι λαοί. Heb. habet *Harim*, montes. Frequenter autem montium nomine Principes & potiores magiſtratus intelliguntur, vt qui cæteris ſuperemineāt. Ergo ſicut iis euenit, qui in ſummo mōte cōſtituti ſunt, vt è longè venientes proſpiciāt: ita ſi quod malū in Rēpub. irruit, hoc primi Principes aduertunt. Et ſicut hi primi dolēt aliquam cladem, qui primi illam intuentur: ita & primi Principes condolent afflictioni ſuorum. Non minus quàm ſi qui omniū primi ex altis ſcopulis naufragos proſpiciant, & illis condoleant. Hoc proprium benè affectis Principibus & Prælatis. Vnde & Paulus: Quis, inquit, infirmatur, & ego nō infirmor? Itaque primi omnium *montes*, id eſt, Principes Chaldæorum *tremuerunt*: quòd afflictis ſubditis condolerent, aut quòd non tam ſubditorum, quàm rem ſuam agi viderent. Nam ſicut parum fuit Herculi caput vnum aut alterum Hydræ excidiſſe, niſi hoc in præcipuo capite faceret: ita nihil eſt ciuitatem occupaſſe, niſi agatur in primitiuo capite. Hoc olim Tarquinius in obſeſſione Ardeæ ſignificabat, cū ſumma papauera excuteret. Inde fit, vt ſumma totius periculi, mutationis ſtatus, & ſummus tremor in capita ipſa redundet. Itaque montes illi quantumuis elati per ſuperbiam, & honorum abundantiam, ſtatim atque Deum ſibi aduerſari vident, *tremunt*. Quis enim ſtabit contra iudicium tuū? Inflati quidem illi proſperis ſucceſſibus, intumeſce-

1. Ob condolentiam.

2. Quia rē ſuam agi, & ſe peti viderent.

Tit. Liu. lib. 1. Dec. 1.

tumeſcebant in populum, cùm patienter ſineret templum ſuum ſpoliari, & concremari; populum etiam ſuum abduci: at verò multò variabunt à ſeipſis & illa inſolentia, cùm iuſtas ab illis pœnas Deus popoſcerit.

Theodoretus dictionem ὠδῖνες reſtringit ad ſimilitudinem parturientium, quas ſubiti dolores inuadant. Et quidem huc alluſit & illa Pauli comparatio, Tunc repentinus illis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Hoc tamen & de impiis, & de illis qui ex impietate ad pietatem reducti ſunt, ita poteſt intelligi: vt illi quidem ſecuritatem & pacem ſibi polliciti, turbentur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, vt ſcribit Salomon: repentinis autem adinſtar parturientium doloribus vexentur: Alij verò dolorem concipiant per pœnitentiam à præcedentibus delictis, donec parturiant, & fœtum nouæ & ſecundum Chriſtum procedentis cõuerſationis educãt. Hoc in Chaldæis, & vt ad Chriſtum veniã, in Gentilibus manifeſtũ apparuit. Inter Chaldæos mõs erat Nabuchodonozor: vidit ille quartũ ſimilem filio hominis in fornace: & hic vidit Dominũ. Quid enim aliud quartus ille prętexebat, niſi Chriſtum meũ, qui tria ſociabat & colligabat igne charitatis, ima, ſumma, & media: vt in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum? *Vidit* igitur te mõs ille magnus, & *tremuit*, ceu *doluit*: nam pauore concuſſus ſtatim edictum reuocauit,

Theod.

Impij.

Pij.

Chaldæi.

Nabuchodonozor.

Dan 3.

Aug. orat. in Iud.

& econtrà aliud in tuam gloriam, & Iſraëlis conſolationem edidit. Parturire poterat ille tandem ſpiritum Domini, ſed ſuffocauit fœ-
Balthaſar. tum ſuum. Mons erat Balthaſar, & *vidit* Do-
Dan. 5. minum, cùm manum ſcribentem in pariete conſpexit: & tremuit, immò poſt illum terrorem, à ſuis ipſa etiam nocte occiſus eſt. Dolor eum ſubitò inuaſit, cùm nihil aliud meditaretur quàm lauticias & delicias. Eapropter enim pretioſa vaſa Domini proferri iuſſerat, in quibus pellicibus ſuis propinaret. Et ecce vino madens, ei repentè manus illa viſa eſt, conuocati harioli, inter cæteros verò Daniel, qui ſacrilegam hominis temeritatem arguit, & breui imminens ſupplicium prædixit. Hi fuerunt dolores quaſi parturientis.
Darius. Mons erat Darius, montes cæteri Principes.
Dan. 6. Viderunt illi Dominum, cùm illum adeſſe Danieli certò cognouerunt. Nam ille ferociſſimis & famelicis leonibus expoſitus fuerat: nec tamen ab his vlla in re offenſus eſt. Tremuerunt illi, & exclamarunt: Magnus eſt Deus Danielis. Tremor hic ſubitò illos inuaſit, vbi & illius vocem audierunt, & ipſum prodeuntem viderunt. Dolores parturientis erant, ſed tamen illis in perniciem, qui lacum Danieli procurarãt: cùm ipſi ſtatim in eius locũ demiſſi, à leonibus deuorati ſint. Vt autem ad Apoſtolorum tempora veniamus: Poteſtates huius aëris, montes erant,
Sathan. mons Beelzebub, Sathan, montes cæteri principes tenebrarum. *Viderunt* illi Chriſtum

Dominum, morientem, inferiores parteſ terræ penetrantem, victorem reſurgentem: & *timuerunt*, ceu *doluerunt* ſuam ipſorum confuſionem, & regni amiſſionem. Nam vniuerſa vaſa illorum diripuit, & fortem ligauit, ne ſeducat Gentes. Montes erant Scribæ, Phariſæi, & illi principes, qui mortem Chriſti procurarant. *Viderunt* autem tandem Dominum in Chriſto ſuo, cùm illum à mortuis reſurrexiſſe, poſt tot patrata miracula audierunt: & *doluerunt*. Quid mirum, cùm præ timore Angeli, milites ipſius cuſtodes ſepulcri ceciderint velut mortui? Cùm reſurrectione à militibus audita, ſtatim territi principes pecuniā illis numerarint, ne factū iſtud ad aures populi perueniret: ſed è cōtrario, diſcipulos corpus furatos eſſe mentirentur? Montes fuerunt omnes Tyrāni, & Gentiū principes, qui primū aduerſabātur Euangelio: ſed vbi Deū in Apoſtolis eſſe cognouerunt ex tot miraculis, illi qui priùs temeritate eleuabantur, tandē tremuerūt, & ſeſe humiliauerūt. Sic Eſaias: Erunt Reges nutricij tui. Et rurſus: Veniēt ad te curui filij hominum. Mons erat Paulus, ſed *vidit* Dominum, & vocē eius audiuit, & tremore concuſſus in terram decidit: vt tandem tot filios in Chriſto, poſt partus dolores ederet. Calcitrabat ille contra ſtimulum, & in ſeipſo concutiebatur, donec Chriſti iugo caput ſuum ſubmiſit. Montes erant tot Reges Ægypti, Æthiopiæ, Græciæ, ad Euangelium reducti. Mons erat Clodoueus: ſed vi-

Scribæ.

Tyranni.

Paulus.

dit Deum victorem, vnde votum exſoluit tandem baptiſatus. Cui & dictum eſt,

Mitis demitte hæc colla Sicamber.

Mons erat Auguſtinus inflatus eloquentia, & vanitate Manichæorum, mons Iuſtinus Philoſophus, mons Cyprianus Magus, mons ipſe etiam Ambroſius, priùs Gẽtiles: ſed vbi Chriſtum agnouerunt, tùm etiam timore concuſſi, ſeſe illi humiliarunt. Sic non ſolùm quod Habacuk, ſed & quod Eſaias prædixit, impletum eſt: Omnis mons & collis humiliabitur, & fient aſpera in vias planas. Huc illa vox clamantis in deſerto tendebat, cùm clamaret, Dirigite viam Domini. Ita verò *Gurges aquarum tranſiit*: defecit enim ille impetus perſecutionis, qui plebem tuã inundabat, eique perniciem minabatur. Sicut enim Chriſtus, cùm voluit, imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna: ita cùm voluerit, quantumuis magnam ſuorum perſecutionem reſcindet, & pacem ſecuram donabit. Nam ſi quis attentiùs Eccleſiaſticas hiſtorias legerit, modò Dei populum in extremo diſpendio poſitum, in inſtanti verò libertate donatum contemplabitur. Patitur Ioãnes, & exilio mulctatur ſub Domitiano: ſimul autem eo mortuo, eius etiam acta reſcinduntur, & Ioannes cum ſuis libertate donatur. Hinc eſt quòd Tertullianus ad Scapulam, & Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis, decretum Hadriani proponunt, ne ampliùs in Chriſtianos ſæuiretur. Immò & Chriſto templum facere

Hieron in Catalogo ſcriptorum Eccl.

Ael. Lãp. in Alex. Euſeb. li. 4 hiſt. Eccl. c. 8.

decreuerat, niſi ab his prohibitus fuiſſet, qui ſacra conſulentes, repererant omnes Chriſtianos futuros; ſi id optatò eueniſſet, & reliqua templa deſerenda. Quin & Alexander Seuerus Chriſtianorum doctrinam & mores miratus eſt. Ita illorum temporibus *gurges* afflictionis *tranſiit*. Multa paſſi ſunt ſub Maximino & aliis tyrãnis: ſed vt reſpirarẽt, & gurges ille eos non abſorberet, alios atque alios Principes ſuſcitauit, Conſtantinũ verò maximè, qui Eccleſiam è fluctibus Gentilium & Arianorũ, quaſi ad portum deduxit. Poſt tempeſtatem tranquillum facis. Ita non ſemper oppreſſio. Poteſt & hoc ita conſiderari: manere quidem fideles, quandiu hîc viuunt, gurgitẽ aquarũ, multas perſecutiones: ſed de omnibus liberabit eos Dominus. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. Propter quod non deficimus, inquit Paulus. Nã licet is qui foris eſt, noſter homo 2. *Cor.* 4.
corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ: ſupra modum in ſublimitate æternũ gloriæ põdus operatur. Magnus quidem eſt impetus tribulationis, ſi in vitam, ſi in bona fortunæ ſæuiat. Attamen breuis eſt: cùm ſtatim è morte ad vitam conuolaturi ſimus. In paucis probati, in multis benè diſponemur. *Tranſiit ille gurges*: tranſiit calix à Chriſto, & ille iam cum ſuis martyribus ſecura quiete perfruitur. Summa hæc vtique conſolatio,

cùm poſſit homo non animam,ſed corpus ſolum occidere: & ipſum occiſum, meliore vita donandum ſit.

Hieronymus ita interpretatur traductionē Septuag. σκορπίζων ὕδατα πορείας, id eſt, *diſpergēs aquas itineris:* quòd diuerſę ſunt aquę, aliæ ſempiternæ, aliæ breues. Quodque de ſempiternis aquis, quę fluunt de fontibus Iſraël, dictum eſt: Fluminibus ſcindetur terra. Id autem de ſubitis & ad tempus currentibus ſit intelligendum. Deus enim omnes aquas itineris, id eſt, quæ à peruerſis dogmatibus conculcatæ ſunt, diſperget: cùm diſſipauerit conſilia Principum, & ſapientiam huius mūdi. Si quādo videris aliquam hæreſim ad breue floruiſſe, & poſtea eſſe diſſipatam, dicito, inquit, eſſe completum: diſperges aquas itineris, nimirùm diabolici. vt ſit ſenſus: Aquas, quas diabolus conculcauit, & quæ multis in ſe præbuerunt iter, id eſt, multis patuerunt erroribus: diuidet Deus, atque diſperget. Vnde & cæteri interpretes, volentes furorem hæreticum deſcribere, tranſtulerunt: *Illuſio*, vel *impetus aquarum tranſiet*. Feruntur enim prono eloquentiæ curſu, & præcipites: vt quemcunque obuium & leuem inuenerint, ſecum trahant. Sed diſperdet Deus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

Hieron.

Dedit abyſſus vocem ſuam. Hoc quidā ad Euphratem referunt, vt qui diuiſus in plures riuos, non ſine impetu & tumultu, conſuetum curſum mutauerit: aut per quandam ſimilitu-

Hiero.

dinem vocem in Deum extulerit, quòd nec illi iubenti reſtiterit. Aut hoc ad ſapientes Chaldæos referunt, qui licet abyſſum haberent obſeruationum, extulerunt tamen vocem, & non tam Perſas, quàm Deum illis ſuperiorem & victorem eſſe agnouerunt. Alij ad Ethnicos quoſlibet, Philoſophos & hæreticos quantumuis doctos referunt, vt qui tandem Deum præſentem fateri cogantur. Hieronymus etiam retulit ad abyſſum illam, in quam dæmones ſe mitti deprecabantur, dicentes: Ne nos mittas in abyſſum. Atqui Oſeas Chriſtum inducit dicentem, Ero mors tua ô mors, morſus tuus ô inferne. Potuit ergo dicere, Ero morſus tuus ô abyſſe. Hoc autem Paulo interprete contigit Chriſto mortuo. Tum enim, Vbi eſt mors victoria tua, vbi eſt mors ſtimulus tuus? Ex quo effectum eſt, vt atrio principis tenebrarum ſpoliato, ingemuerit abyſſus, & quaſi vocem dediſſe feratur: vt ſit cõtinens pro cõtento, quia luctus manſerit Sathanicas poteſtates, ſua tunc virtute ſpoliatas. Nec tantùm illorum luctus deſignatur Chriſto reſurgente, ſed & lætitia victis Chaldæis, cùm exultent de infidelium interitu, non minus quàm Angeli lætantur ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Gloſ. ord. & interl.

Dionyſ.

Dæmones clamant, Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene, &c.

1. Cor. 15.

Luc. 15.

Altitudo manus ſuas leuauit. Quid enim eſt quod non Dei gloriam, vel inuitum annunciet, vbi aduerſarios ſuos ille confuderit? Ipſe Deus, ipſa omnium altitudo tunc

manus ſuas leuare dicitur, cùm potentiam ſuam exerit, & manifeſtò oſtendit, ſatis in cõtumaces diſſimulatum eſſe. Sic alibi oratur: Eleua manus tuas in Gentes alienas. Et Pſaltes: Extrahe manum tuam de medio ſinu tuo in finem.

k Sed & omnis altitudo virorum depreſſa Dei virtute, tum tanto maiorem ſenſum habet in abiectione, quanto magis erat temeraria in elatione. Solet enim tanta mutatio ſtatus, etiam affectum animi immutare. Vt cùm Iulian' Apoſtata exclamat, Viciſti Galilæe. Aut cùm ipſius cognominis auunculus vindici morbo depreſſus, vel coactus, Chriſtum profeſſus eſt. Hinc in Apocalypſi ſpiritualis Babylonis deſtructione prædicta, inducitur: Exultate cœli, id eſt ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quoniã iudicauit Deus iudiciũ veſtrũ. Lætabitur enim iuſtus, cũ viderit vindictam. Ergo etiã altitudo, de iis intelligi poteſt, qui altiùs quàm in hominibus ſpem ſuam collocauerunt. Nã etſi perſecutione inundãte vacillarent, & concuterentur, vbi tamen Deus gurgitẽ illũ tribulationis excuſſerit, ipſum omnes magnificabunt. Sic Danielis 12. perſecutio quidem magna deſcribitur. Erit, inquit, tempus quale non fuit, ex eo ex quo Gẽtes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud. Chriſtus etiam adiicit: Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non ſalua fieret omnis caro. Et tamen parta pace, adiicitur: Probabuntur, & dealbabũtur, &c. Et ſic quidem ipſa hominũ

altitudo leuabit manus ſuas in Dei benedi-ctiones. nam & manibus in cœlum elatis Deũ precabuntur. Thren. Leuemus corda noſtra cum manibus in cœlum ad Dominum. Et Apoſtolus, Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.

Septuaginta ita vertunt, *Dedit abyſſus vocem ſuam*, ὕψος φαντασίας αὐτοῦ, id eſt altitunẽ fantaſiæ eius, aut cogitationis eius, aut apparitionis eius, vt quidam interpretãtur. Cyrillus cùm per Abyſſum multitudinem credentium explicaſſet, altitudinẽ fantaſiæ eius inſigniores in dignitate ſignificari dicit, hoc eſt Principes Gentium qui crediderunt. Eleuarunt enim vocem confeſſionis fidei ſuæ.

ORATIO.

1. EXalta igitur manum tuam ſuper Gentes alienas, diſperge ſuperbos mẽte cordis ſui, & humilem addictamque tibi Eccleſiam his aquarum gurgitibus eripe.

2. Quid enim adeò altum eſt, quod non, te percutiente, tremat? Tangis montes, & fumigant. Vident & ſentiunt montes manum tuam, & dolent: ipſa etiam altitudo depreſſa, veritatem brachij tui profitetur. An non humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum Sathanam, in dextra virtutis tuæ?

3. Quid Ægyptij, Chaldæi, quid quique Barbari, quid denique hæretici, tuo gregi præualere potuerunt? Gurges ille aquarum trãſijt.

4. Fac igitur vt calix iſte tribulationum cedat, abyſſus abyſſum inuocet, abyſſus miſeriæ

abyſſum miſericordiæ.
5. Ecce omnis altitudo manus & corda ſua leuat ad te. Pontifices & omnis clerus, Rex ipſe, nobiles, & omnis populus inuocãt te, vt propitius ſis peccatis noſtris, propter nomẽ tuũ. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XXII.

Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo: in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

QVantò quis potentior eſt, tantò magis timetur. Inde Rex velut omni plebe, & ſtatu Reip. altior,
Plut. lib. de doctrina Principũ. ſceptro donatur: quod & ei⁹ potentiam, & æquitatẽ doceat, quò maximè impij & malefactores terreantur.
Rom. 13. 1. Non ſine cauſa gladium portat, &c. Quantò magis terribilis eſt Deus? Poteſt etiam Vaſſallus ſe erigere in Regem, quis in Deum?
Pſal. 2. 2. Qui habitat in cœlis, deridebit eos, & tãquam vas figuli confringet eos. Poteſt quis fugere iram Regis, & latere, vt olim Dauid, & Prophetæ Domini: ſed quò ſe recipiet, quem Deus perſequitur, quiq́ue vbique terrarum ſuum iudicium portat? Quomodo ſecurus & non ſemper tremens Cayn, cùm in ipſa ſolitudine, tremore ſuo folia concuteret? Quò ibo à ſpi-

ritu tuo,inquit Dauid,& quò à facie tua fugiam? Sed neque Regibus vindictam iuſtam præcipientibus ſemper obeditur. Poſſunt iu- 3.
bere cædem impij. Verùm & is qui mandatū acceperit,hoc reijciet aliquando. Mandarat *Iuſtin.hiſt. lib. 1.*
Aſtyages mortem Cyri Harpago, Priamus Paridis.quid autem non è contrà ſecutū eſt? Sed quis ſtabit contra iudicium Dei, cùm armauerit omnem creaturam aduerſus inſenſatos? Qui & facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis? Cui etiam inuiti, in ſeipſos ipſi dæmones obtemperant. Huius igitur poteſtatem exaggerat Habacuk, & hinc ſecuræ ſuæ expectationis magnum argumentum conciliàt. *Sol*, inquit, *&* *luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Quid enim tam rarum aut admirabile cenſetur, quod non eius omnipotentiam fateatur? Rarus ſol, quia 1.
vnus, vna etiam luna eſt. Vtrunque vas admirabile excelſi, quod ſuo ſplendore Dei gloriam annūciat, ſiue ille die, ceu illa nocte luceat. Hinc multi olim; vt Manichæi, in ſo- 2.
lem Chriſtum receptum eſſe, alij ipſum ſolem Deum eſſe agnouerunt: cuius tam *Aug. in Manich.*
mirabilis eſt in homines influentia, vt iuxta Philoſophos, hominem ſol & homo generent. Sed & in tempora & in menſes & dies illum poſitum eſſe Deus ipſe teſtatus eſt. 3.
Menſtrua luna eſt, annuus ſol, & idem in vices dierum. Vtrunque aſtrum potentiſſimum, ad eleuandos humores, excitanda 4.
& viuificanda ſemina. Et licet tanta

vtrique virtus inſit, licet vtrunque luminare à Gentilibus adoratum ſit: ecce tamē eo ipſo docuit Deus ipſa nec Deos eſſe, ſe autem ſolum adorandum eſſe. Nam *ſteterunt in habitaculo ſuo*. Illa quidem ad continuum curſum & motum creata ſunt, & ab initio creaturæ in ipſo motu perſeuerarunt: & tamen ab eo ſunt mutata & reuocata. Stetit tamen ille ſub Ioſue, retrogreſſus eſt ſub Ezechia, & Chriſto patiente generalem eclypſim paſſus eſt.

1. Quid autem illæ mutationes in ſole & luna portendebant, vt modò ſtarent, modò tenebreſcerent? Deo enim proprium eſt eſſe immutabilem. nam quod mutabile eſt, etiam & corruptioni obnoxium eſt. Hinc quidem de Deo dicit Pſaltes, Omnia ſicut veſtimentum veteraſcent. Tu autem idem ipſe es. Et Deus ipſe, Ego, inquit, Deus, & non mutor.

2. Sed & hæc mutatio in ipſis luminaribus cōtigit, vt prolixior victoriæ dies redderetur Ioſue, & vt Chriſto tandem paſſo teſtimonium luctus exhiberetur.

3. Adde quòd ex tantorum luminum mutatione Deus exhibere voluit, eorum, quę multo minora & inferiora ſunt, faciliorem eſſe mutationem, quantumuis in regni ſolijs velut in cœlis ſplendeant, & ſuæ poteſtatis lumine ſubditos ſuos terreant & obtundant.

De Ioſue quidem, hiſtoria legitur Ioſ. 10. Iericho & Hai vrbes captæ, Gabaonitæ confugiunt ad Iſraël. Adonibezec Rex Hieruſalem terretur, pro deditione Gabaonitarum.

Vocat in auxilium Oham Regem Ebron, Pharã Regem Ierimoth, Iaphia Regem Lachis, Dabir Regem Eglon, vt expugnaret Gabaon. Quod & illi fecerunt, cum exercitibus ſuis. Gabaonitæ mittunt ad Ioſue, in caſtris apud Galgalam manentem. Nocte irruit in eos fugientes, per Bethoron. Pluit Dominus lapides magnos vſque ad Azecha, & plures lapidibus quàm gladio mortui ſunt. Ioſue tunc Domino dixit coram Iſraël: Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque ſol & luna, donec vlciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis. Nec feſtinauit ſol occumbere ſpatio vnius diei: obediẽte Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël. Quinque Reges in ſpelunca latentes obſeſſi producuntur, in eorum colla pedes imponuntur, ſtrangulantur, in ſtipites eleuantur vſque in veſperam. demum in ſpeluncam, in qua latuerãt, corpora eorum deijciuntur, & ei lapis magnus aduoluitur. Sicq; eorum regna tranſierunt in poteſtatem Iſraëlis. Magnum erat diuinæ maieſtatis & futuri auxilij argumentum, quòd lapides de cœlo pluerit: verùm & hæc ſigna ſæpiùs contigerunt. Miſit Dominus ignem & grandinem de cœlo in Sodomam: ſed & Aurelij Antonini tempore, ipſo in Germania obſeſſo, precibus Chriſtianorum, pluerũt è cœlo in exercitum inimicum grandines & lapides, in noſtros vnda iamdiu deſiderata. Fiunt & grandines aliquãdo malis ſpiritibus adminiſtris. Sed quid *Iuſt. Apol. 2. pro Chri.*

maius eſſe poteſt, quàm vt ſol & luna ſtent in habitaculo ſuo? Solẽ quidẽ Giganti forti cõ-
Pſal. 44. parat Pſaltes, dicens, Exultauit vt Gigas ad currendam viam, &c. Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Et tamen voce hominis ſte-
1. tit ille. Quid putamus igitur facturum Deũ, ſi quid eum requiſierimus in nomine Chriſti, quod nobis vberius eſt, quàm nomen
2. Moyſi aut Ioſue? Sed & quid facturus eſt ille in peccatores, cùm tantum in ſolem poſſit? Quid illo illuſtrius? Iacta tu tuam nobilitatem, iacta diuitias, iacta generis ſplendorem: num illa omnia exſufflare poteſt Deus? Seſe ſoli Salmoneus & Ioui fulgetro comparabat. Quin & ipſe Choſroë Perſarum Rex,
Euagrius lib. 6 Hiſt. Eccle. cap. 20. comparata ſcilicet Cruce, in ſacello manebat, miro modo à ſole, & precioſis lapidibus illuſtrato. Gloriabatur Herodes, ex ſolis in veſtes argenteas ſplendore, cùm ad populum gratulantem prodijſſet: & ecce percuſſus ab Angelo, conſumptus à vermibus expirauit. Seſe quidem Alexander ſoli comparabat, cùm requiſitus à Dario, vt parte regni
Plutar. in Alexand. ſui contentus eſſet, ille reſpondit, Neque terram duos ſoles, neque Aſiam duos Reges capere poſſe. Et tamen

Æſtuat infœlix anguſto limite mundi.

Quàm enim homini facile eſt extinguere lucernæ fulgorem, tantò Deo facilius eſt deprimere faſtum illum, & fictitium nobilitatis ſplendorem. Audiamus quid Pſaltes. Vidi, inquit, impium ſuperexaltatum & eleuatum

ſupra cedros Libani: tranſiui, & ecce non erat, & non eſt inuentus amplius locus eius. Ille qui ſiſtit curſum fluuiorum, qui reprimit impetus maris, qui violentum motum ſolis & lunæ retinet: hic ille eſt, qui ſuæ iuſtitiæ fræno hominum furorem & ambitionem compeſcit.

Per ſimilitudinem autem tabernaculum ſoli & lunæ tribuit, cùm tamen id propriè militibus vendicetur: Nimirùm & ipſo iam ſole è curſu quaſi è militia reuocato: cùm ſolus De⁹ vindicandæ ſuæ iniuriæ ſufficeret. *In luce ſagittarum tuarum ibunt*: id eſt, nullo alio lumine dirigentur, quàm ſplendore fulgetrorum, & gladiorum & ignis, quaſi cùm ſol nimbis in-
uoluitur. Sunt enim qui ad literam ſagittas 1.
vocent fulgetra illa, quæ velociter ex concuſſione nubium aërem penetrant, adinſtar iaculorum. Sic Chriſtus, Fulgur, inquit, trãſit ab oriente in occidentem. Lucem autem moleſtam oculis, denſis etiam in tenebris, & noctis obſcuritate emittunt. Et quidem illa lux vt aduerſarios terruit, ita populum Dei ſecu-
rum deduxit. Hebræi hoc etiam referunt ad 2.
grandines & lapides emiſſos è cœlo, irradiãte
fulgure in hoſtes Iſraëlis, vt diximus. Nec 3.
quidem inſuetum eſt, aut ſolis radios viuaciores, aut perniciem illam è calore ſolis manantem, etiam ad peſtem excitandam, iaculorum & ſagittarum nomine deſignare. Cũ etiam Gentiles Poëtæ, ipſa ratione Apollinẽ pharetratum depingant. Hinc & Chryſes A-

pollinis ſacerdos fingitur vindicem peſtem in Græcos eadem metaphora, qua nunc Habacuk, poſtulare dicens,

Iliad. α. Τίσειαν δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα τοῖσι βέλεσσιν·
Pendant Danai meas lachrymas tuis ſagittis.

Addit, *In ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Hæc omnia, fulgur, haſta, ſagittæ, Dei vindictam è cœlo ſonāt, ſiue illa per peſtem, ceu per ignē, ceu quemuis alium terrorem fiat. Nam ſplendor ex armis & gladijs emicat. Hinc igitur docet, nihil eſſe deſperandum populo Dei quātumuis afflicto, cùm nihil tam violentum eſſe poſſit in armis & ſagittis, quantum in fulgure, grandine, tonitru, & horribili illa tempeſtate, quę in cœlo immittetur. Num ſcilicet in momento non exercitum modò, ſed & omnes omnium regnorum vrbes cœlitùs emiſſis tē-
Theod. lib. 5. c. 24. Niceph. l. 12. c. 39. peſtatibus diſperdere poteſt Deus? Theodoſius quidem cùm inter Alpium anguſtias Arbogaſtum & Eugenium fidei noſtræ aduerſarios expugnaret, ventorum flatibus ita adiutus eſt, vt emiſſa ab illo iacula, in eoſdem retorqueret. Hinc nimirùm & illa Claudiani carmina,

Panegy. 2. ad Honor. Imp.
O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Sic Deo nihil eſt impoſſibile. Vnde rectè olim Ioſaphat Rex, Tua, inquit, eſt potētia, tuū regnum, &c. Quid enim potuerunt aut Iſraëlitæ cōtra Amorrhæos, aut Perſæ cōtra Chaldæos, aut ipſi etiam Apoſtoli contra perfidiā Gentium, niſi Deo adiutore? Illius erant hæc

arma,

arma, illius hæc iacula, hi gladij, hę ſagittæ: ille etiã in eis & pro eis depugnabat. Ex quo recte Dauid cecinit: Qui docet manus meas ad prælĩũ, & digitos meos ad bellũ. Hæc contẽplari & meditari oportet Reges & Principes, quorũ eſt magna virtute & fiducia bella ſuſtinere, ſi quę inferũtur. Maledict' enim homo qui cõfidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ ſuum. Non enim in curribus, neque in equis, ſed in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Et quoniam bella illa ab Iſraële ſuſcepta, typum habebãt ſpiritualis Apoſtolorum pugnæ, contra tot Gentes, vt in funiculum & ſortem hæreditatis totum orbem Eccleſiæ Chriſti diſtribuerent: ideò primò agnoſcendum eſt, non ſua illos, ſed Dei virtute hoc obtinuiſſe. Non vos, inquit, eſtis qui loquimini, *Matth.* 10
ſed ſpiritus patris. Hoc ſi perpendamus, quomodo tot regnis prȩualuerunt? An armis? Sed 1.
inermes erant, & pacem annunciabant. An 2.
eloquentia? Sed idiota ſum ſermone, inquit eorum ſapientiſſimus Paulus. An dolis? At v- 3.
bi dolus, quos nec auaritia, nec ambitio, nec lucra propria deduxerãt? Quid ergo? Virtus Dei, virtus ſpiritus eius. Hic in eis loquebatur, & aures auditorum erigebat. In his patiebatur, & flectebat ſpectatores, vt illis condolerẽt. Exprimit autem hunc triumphum Habacuk per ſimilitudinem. *Sol*, inquit, *& luna ſteterunt in habitaculo ſuo*. Audiuimus ſolem hũc creatum & corruptibilem ſtetiſſe tẽpore Ioſue: ad maiora nunc myſteria progrediamur,

ad illa nimirùm futura quæ præſagiebantur: & expendamus antiquorum Patrum interpretationes. Altiùs enim ferebatur Propheta. Chriſto quidem patiente, diximus *Gurgitē* illum aquarum, calicem ſcilicet tribulationis tranſijſſe, *Abyſſum* verò *extuliſſe* vocem, Chriſto ad inferos deſcendente, & vniuerſa ſpolia diſtribuente, ipſum etiam mundi principē ſpoliante. Teſtabantur hæc Chriſtum victorem, & totius orbis monarcham. Quinetiam illud ipſum demonſtrat Habacuk alijs argu-
1. mentis. *Sol*, inquit, *& luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Hoc quidem Chriſto patiente, immò & expirante contigiſſe diximus, cùm tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram, ab hora ſexta vſque ad nonam. Quòd ſi quis obijciat, aliud eſſe ſolē obtenebrari, aliud eundē ſtare. Nam cùm nona hora ſucceſſerit hiſce tenebris perſeuerantibus, ſequitur ſolem minimè reuocatum eſſe à ſuo curſu. Itaque hoc facilè intelligetur per metaphoram. Nam eos domi ſtare dicimus, qui ſeſe in publicum non exerunt, qui nihil faciūt vnde appareant. Quod etiam olim de Achille dictum eſt, antequàm ad Troianam expeditionem progrederetur, quòd

Metamorpho. 13.

Præſcia venturi genitrix Nereia lethi
Diſsimulat cultu natum. Et domi recluſit, donec ab Vlyſſe eductus eſt. Hinc & nos homines nullius animi, & effectus vocamus, *des caſaniers.* Iuxta hanc metaphoram ſol & luna in habitaculo ſuo ſtetiſſe dicuntur, cùm lu-

men ſuum retraxerunt, nec viſi ſunt. Atque ad ſe ſuos radios, quaſi ad ſuum habitaculum reuocaſſe cenſentur. Theophilactus & Theodor. ſequuntur verſionem Septuaginta interpretũ, licet in Hebręo *Aamad*, *ſtetit*, legatur. Verterũt autẽ illi, ἐπήρθη ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη ἔστη ἐν τῇ τάξει αὐτῆς, Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo. Theoph. Sol iuſtitiæ 2.
in altum ſublatus eſt in cruce, & nox facta eſt, in qua luna ſuum ordinem obtinet, vt luceat: ſiue quòd Domino crucifixo, ex Gentibus Eccleſia refulſit; & ſtetit in ordine ſuo ad lumen, hoc eſt, proximè lucens apparuit, ſeruans ordinem proprij orbis. Sic Centurio Gentilis exiſtens, filium Dei confeſſus eſt crucifixum, & qui cum ipſo erant. Iam autem & Dominus ipſe dixerat, Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Si au- 3.
tem ſol eſt Euangelium, hoc quidem ſublimatum eſt, & radij eius extenſi, & luna, hoc eſt lex, ſtetit ad lumen. Tum enim apparuit ſpiritualis lex, cùm ſpiritus ipſam interpretatus eſt. Sic & per allegoricum intellectum apparuerunt Agar & Sara. Et illud, Non alligabis os boui trituranti, de Doctoribus Eccleſiæ, & circuncìſio ſpiritualis demonſtrata eſt. Porro *ibunt*, ait, ſol nimirùm & luna, *ad lucem ſagittarum tuarum.* Sagittæ ſunt Apoſtoli, vt Gloſa interlinearis & Theophilactus obſeruant. Et illæ quidem ſagittæ profectæ ſunt, veluti à forti quapiam & potenti manu miſſæ, vt figerentur in corda inimicorum Re-

gis, Dæmonum videlicet, æquè ac Dauid
Pſal. ait, Tanquam ſagittæ in manu potentis, ita & filij excuſſorum. Excuſſi ſunt quidem & proiecti à facie Dei, ipſi Iudæi: horum filij ſagittæ fuerunt potentis Chriſti, qui eſt virtus Dei Illi autem ad ſplendorem fulguris verborum, hoc eſt armorum Chriſti, profecti ſunt. Arma verò Chriſti ſunt, quibus Paulus
Epheſ. 6. nos induit, dicẽs: Induimini armaturam Dei, quæ eſt thorax iuſtitiæ, & galea ſalutis, & gladius ſpiritus. Ad *ſplendorem fulguris* illius ſpiritualis, ad ſplendorẽ verbi penetrabilioris omni gladio ancipiti, ad lucem ſagittarum, id eſt Apoſtolorum ſuorum, Chriſtus ſol iuſtitiæ, ſtationem inuenit in cordibus hominum, tãquam in habitaculo ſuo. Sed & luna ceu Eccleſia Dei inter eos manſit. Et verè Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et proclamatum eſt ab Angelis: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cũ eis, & ipſi populus eius, & ipſe Dominus erit cum eo eorum Deus.

ORATIO.

1. QVis ergo verbo veritatis tuæ reſiſtet? Ecce mare, gurges, abyſſus, ſol & luna tuam omnipotentiam confitentur: quid ergo faciat homo vermiculus?

2. Ecce tot fulgura, tot coruſcationes orbi terræ illuceſcunt: & quomodo non terreantur habitantes in ea?

3. Quæ eſt ſuperbia hominis, vt eleuetur in Deum factorem ſuum? Quem enim quantũ-

uis illuſtrem & clarum nõ in momento exuſflare poſſis? Quid cùm exacueris gladiũ tuũ, & potentiam iræ tuæ depromp ſeris?
4. Ergo in te ſpem noſtram coniecimus. Tu qui vt ſol ſupra ſidera exaltatus es, & ſedes à dextris Dei, trahe tuàm lunam, Eccleſiã tuã ad te, vt ſtet in ordine ſuo. Confundantur verò omnes aduerſarij eius, & obtenebrentur. Tuum enim eſt regnum & poteſtas, cum Patre & Spiritu ſancto. Amen.

HOMELIA XXIIII.

In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies Gentes. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

MAgnum quidem terrorem incutit brutis etiam animãtibus Leonis fremitus: ſed tamen nec minorem in ſubditos ab irato Principe procedere monet Salomon. Prou. 19. Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis. Hoc olim in Alexandro Macedone obſeruatum ſcribit Plutarchus. Nam licet ipſius halitus balſamum quoddam ſpiraret, ſi quando tamẽ iraſcebatur, illius vult⁹ igneũ quid portendebat. Hác maieſtatẽ immiſit Deus in vultum Principũ, vt tanto maiore reuerẽtia ſubditi ad illos accedant. Hier. 10. Quis nõ timebit te ô Rex? At verò ex vmbra ad ſolem progredi oportet, vt monet Tertullianus. Quid

Plutar. in Alex.

eſt autem Rex niſi vmbra Dei, qui dedit poteſtatem talem hominibus? Quid ergo magis timeas quàm iram Dei? Terribilis, & quis reſiſtet ei? Ex tunc ira tua. De cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit. Terribilis eſt qui aufert ſpiritum Principum, terribilis apud Reges terræ. Ex hoc igitur terrore, immò & hac illius maieſtate quantum de populi reductione confidendũ ſit, docet Propheta: non hoc modo ad captiuitatem Babylonicam extendens, ſed & ad hanc, quæ per peccatum contracta, etiam per Chriſtũ ſoluta eſt. Vt autem literam ceu typum expendamus, *In fremitu*, inquit, *conculcabis terrã*, *Bezaam titſead Areths*, In ira incedes terrã. Quid leone furioſius, vbi fremens per vaſtas regiones progreſſus fuerit? Quid verò Deo terribilius, vbi in ira terram perambulauerit? Atqui aliquis dixerit, num Deus omnia replet? Quomodo igitur per terram incedere dicitur? Verùm hoc fieri per euidentiam quandam dicimus. Sicut enim à ſuis recedere cenſetur, cùm auxilium ſubtrahit: ſic adeſſe dicitur, cùm ſuæ præſentiæ, id eſt, virtutis aliquod argumentum porrigit. Vnde fit, vt per terram incedere dicatur, cùm inter fideles ſuos iudicium ſuæ diſcretionis aliquo exteriori facto porrigit: tum ſuos eripiendo, tum in alienos ſæuiendo. Eodem quidem modo legitur audita (Geneſ. 3.) vox Dei deambulantis in Paradiſo. ſed & Dominus, Deſcendam, inquit, & videbo num habitatores Sodomæ & Go-

morrhæ peccatum ſuum compleuerint. Itaque, cùm cœperit diſcernere inter oues & hœdos, inter fideles & infideles, *In fremitu conculcabit terram*. Fremitus propriè concuſſio dẽtium eſt, cum murmure dentibus incluſo, & quaſi excitato per naſum. Hîc pro illa colliſione nubium, quæ tonitru concuſſo emergit. Id autem terram concutit. Conculcare deſignat vehementem quandam pedis concuſſionem, qualis ab ijs eſt, qui magno aliquo ſpiritu feruntur. Sic etiam bos laſſus fortiùs figit pedem. Ita igitur fiet, vt ceu Deus per Iſraëlem in nationes extraneas, ceu per Perſas in Chaldæos, ceu per Chriſtum in peccatores feratur, in fremitu terram conculcare dicatur. Et ſanè nihil Chriſto mitius eſt: qui & agnus nuncupatur, vt qui coram tondente ſe obmutuerit: nec cùm conuitia, aut verbera à Iudæis acciperet, comminabatur. Dicitur tamen & leo. Sic Iacob, Catulus, inquit, leonis Iuda. Et rurſus: Accubuiſti vt leo. Nam ſicut, teſte Eucherio Lugdunenſi, leo ſuo fremitu ſtatim atque è ſommo excitatur, concutit & perſonare facit cubile ſuum: ſic Chriſtus ſtatim atque è morte, tanquam è ſomno tertia die ſurrexit, ſua potentia velut quodam fremitu terram concuſſit, milites ſepulcri ſui cuſtodes proſtrauit, & terruit. Sed & magnus erat fremitus exercitus Cyri & Darij, magnus Apoſtolorum in idololatriã Gentium. Excitabatur ſpiritus Pauli, cùm eſſet Athenis, vidẽs idololatriæ deditam ciuitatem.

Lib. 2. in Gen.

Lyran.

Quid autem aliud erat niſi fremitus, cũ nec quidem morte imminente à Dei verbo reuocarentur? Quid aliud in Paulo, cùm exclamaret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandaliſatur, & ego non vror? Quid aliud erat zelus eorum, niſi quidam fremitus & furor? Hoc enim mirũ erat videre paucos, extraneos, pauperes, inermes, aggredi barbaras & feras quaſque nationes: eorum ritus, leges, mores, cultus & ceremonias, ipſas etiam ſuperſtitiones auitas dicendo ſubuertere. Quis non hoc in peregrino ſolo, etiam à piſcatoribus factum miretur? Sed quod olim Poëtæ, hoc ipſi melius ſibi vendicarunt Apoſtoli:

Theodor. l. de legib.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Ambulabant illi terram, & Deus ambulabat in illis *Fremebant*, & in ira Gentium impoſturas detegebant: ſed non hoc tam illi, quàm ipſe Deus in illis operabatur. Hinc fit, vt hæc Deo tribuat Propheta. Ait enim Eſaias: Omnia operatus es in nobis Domine. Et Paulus: Viuo ego iam non ego. Et alibi: An experimentum quæritis illius qui in me loquitur Chriſtus? Et rurſus: Non ego, ſed gratia Dei mecum. Addit igitur, *In furore obſtupefacies Gentes*. Nam & hoc nationes terrebat, quòd tanta cum fiducia paucos de vero Deo profari, & prophanos ſuos cult⁹ ſubuerti viderent Quin & in ipſo eorum prædicationis adytu territi ſunt, qui ex Hieruſalem ad cœnaculũ cõuenerãt Iudæi, & dixerũt. Nõne

omnes iſti qui loquũtur, Galilæi ſunt? Quidã autem ex ipſis muſto epotos illos furere calũniabantur. Verùm alius erat furor, & zelus: talis nimirùm, qualem Chriſtus exhibuerat, cùm flagello è funiculis facto vendentes & ementes è templo reiecit, illud perficiẽs, Zelus domus tuę comedit me. Talis zelus in Helya, tanquam fax ardens, adeò vt in diebus ſuis Principem non pertimuerit. Nonnulli hoc furori imputarunt, quod piæ æmulationi erat tribuendum. Interim obſtupefiebant multi, cùm viderent tanta animi alacritate ceu Helyam, ceu ipſos Apoſtolos, Reges & Principes conuenire, & reiecto vitæ diſpendio veritatem prædicare. Theodoretus hoc etiam transfert ad illas comminationes, quas verbi Dei concionatores incutiunt, ex conſideratione tremendi illius iudicij, vt peccatores ad pœnitentiam protrahant. Hoc nimirùm argumento Ioannes induratos Phariſæos flectere conabatur, proclamans: Genimina viperarum, quis vos docuit cauere à ventura ira? Iam ſecuris ad radicem poſita eſt: facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Hoc argumento Paulus obſtupefecit Romanos, qui fortè nimiùm in Dei miſericordia confidebant, & inde liberiùs in peccata progrediebantur. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam *Rom. 2.* adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſauriſas tibi iram in die

iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecũdum opera eius. Hoc idẽ
Act. 17. argumento Athenienſes concutiebat, quòd videbat in plures ſectas eſſe diſciſſos, & hoc hamo Dionyſium ipſum & mulierem Damarim cum aliis pluribus expiſcatus eſt, dicens. Et tẽpora quidem huius ignorãtiæ deſpiciẽs Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiã agãt, eo quòd ſtatuit diẽ, in quo iudicaturus eſt orbẽ in ęquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidẽ præbẽs omnibus, ſuſci-
Heb. 10. tans cũ à mortuis. Nam terribilis eſt expectatio illa iudicij, quæ conſumptura eſt aduerſa-
In Matt. rios. Vnde & Hieron. Quoties, inquit, diem illũ conſidero, toto corpore contremiſco. Siue enim comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, ſemper videtur illa tuba terribilis ſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Sed & exclamat Petrus, Si iuſtus quidẽ vix ſaluabitur, impius & peccator vbi
1. *Pet.* 4. parebunt? Hęc quoties Apoſtoli, aut eorum ſucceſſores magno zelo apud populũ diſſerebant, quaſi in furore Gẽtes obſtupefaciebãt, cùm illis ob oculos ponerẽt diẽ, quẽ his titu-
Soph. 1. lis terribilẽ reddidit Sophonias. Dies, inquit, iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubę & clãgoris. Hoc cũ nationes audirent, vi quadã ad reſipiſcentiam conuolabant: nõ minus quàm Iudæi, cũ à Petro Chriſtũ iam à dextris
Act. 2. ſedere, omnes autẽ iudicaturũ eſſe audiiſſẽt,

exclamarũt compuncti corde: Quid faciem⁹ viri fratres? Petrus autẽ ad illos, Pœnitẽtiam, inquit, agite, & baptiſetur vnuſquiſque veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorũ veſtrorũ: & accipietis donum Spirit⁹ ſancti. Nimirũ hic terror incuſſus, hic zelus, ceu ira & quaſi furor diſcipulorum Chriſti, cùm in vitia & deprauatos hominũ mores animaduerterẽt: nõ eò tendebat, vt in deſperationẽ homines coniicerent, & quaſi ratam dãnationis ſententiã in eos proferrẽt: ſed potiùs vt perculſos & cõmotos ad deteſtationẽ ſcelerũ ſuorũ, ad pœnitẽtiã flecterent, & certã remiſſionis ipſorum fiduciam. Hoc agebãt quod Chirurgi vſtulatione, ferro, cauterio, & mordaci emplaſtro, ne ſi fortè leniora tãtùm applicuerint, homini perniciẽ afferant. Intẽdunt enim & hi & illi hominis ſanitatem, etſi crudeles videantur: hi quidem ferro & igne, illi verbis ſeueris, comminationibus & terrore. Et hoc quidem Propheta docet, & velut ſummam totius per Chriſtum victoriæ, & totius per Apoſtolos expeditionis, conſtituit. *Egreſſus es*, inquit, *in ſalutem populi tui, in ſalutẽ cũ Chriſto tuo*. Et hoc quidẽ primũ in typo cõſiderãdũ eſt. Egrediebatur Domin⁹ cũ Moſe in ſalutẽ Iſraëlis, egrediebatur cũ Regibus fidelib⁹, quos & Chriſtos ſuos eſſe voluerat. Hinc lex illa promulgata eſt Iſraëli, Si exieris ad bellũ contra hoſtes tuos, & videris equitatus, *Deut.* 20. & currus, & maiorẽ, quã tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos,

quia Dominus Deus tecum eſt, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem iam prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum. Audi Iſraël. Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Sic egrediebatur Dominus ad ſalutem populi. Et ſi quis erat Chriſtus eius, ſi quis vnctus in Regem, aut Principem, aut ſanè in ſacerdotem, comitabatur illum Dominus, & per eum ſalutem operabatur. Hoc quidem ad Moyſen teſtatus eſt. Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obſerua eum, & audi vocem eius: non contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Quòd ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Hoc
Exod. 23. autem certa fœderis promulgatione, & ſui vultus communicatione confirmauit. Cùm
Exod. 24. enim duodecim vitulos obtuliſſet, & dimidio partem ſanguinis in crateras exceptam in populum reſperſiſſet, in fœdus, & volumẽ legiſſet, audiente populo: ſed & populus ſe in omnibus obtemperaturum Deo promiſiſſet: Aſcenderunt Moyſes & Aaron, Nadab & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus, & vide-

runt Deum Iſraël: & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphirini, & quaſi cœlum cùm ſerenũ eſt. Hic ille eſt, qui cum Ioſue contra nationes depugnauit. Ait enim ille, Ecce prę- *Ioſue.1.*
cipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere, quia tecum eſt Dominus Deus tuus, in omnibus ad quæcunque perrexeris. Itaque ſiue debellandæ Gentes, ceu conquirenda ceu conſeruanda fuit promiſſionis terra, non hoc hominum viribus, ſed Dei virtute obtigit: nam & ille ſimul cũ populo ſuo egrediebatur, cum Chriſto & & principe ipſius. Hoc quidem, quandiu populus ſeſe illi obedientem, Principes autem obſequẽtes ei reddiderũt. At vbi illi deſciuerũt, ſimul eos Deus & ipſa virtus reliquit, nec exteris nationibus reſiſtere potuerũt. Leuit. 26. Si ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego quoque contra vos aduerſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra, inducamque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei. Et hoc quidem typicè in Moſe viſum eſt. Nam quandiu ille manus in cœlum extulit, vicit populus: vbi depreſſit, ceſſit inimicus. Cùm enim per manus actiones deſignantur, quandiu illæ in Deum erectæ, piæ & iuſtæ fuerint, tandiu victoriam obtinuerimus: ſi autem deprimantur illę in terrenos affectus, non mirum erit, ſi vindex Deus cor & animum deiiciet, adeò vt tepidi nos hoſtibus cedamus.

Quòd ſi ad populum illum conuertamur,

qui captiuus apud Babylonios erat: minatur quidem Deus ſe Perſas in Chaldæos immiſſurum, qui armorum ſplendore, haſtis, ſagittis, & omni virtute, qui equorum fremitu, & ira ingenti in eos graſſentur. Et ne ſimul cum Babyloniis, aliquis exitum parari ipſis Iſraëlitis captiuis exiſtimet, è contra dicit Habacuk, *Egreſſus es*, cum exercitu Perſarum, *in ſalutem populi tui* captiui, vt tandem ei liceret per Perſarum Regem in terram ſuam remigrare. *Egreſſus es in ſalutem* hanc, *cum Chriſto tuo* Cyro: de quo Eſaiæ 45. hæc leguntur promiſſa. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dextram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Hanc autem Perſis Deus victoriam peperit, vt tandem potiti ciuitate, liberos dimitterent Iſraëlitas.

Et hæc quidem in figuris. Quis enim eſt antiquorum interpretũ, qui Cyrum Chriſti noſtri typũ geſſiſſe non exprimat? Facit ad hanc ſentẽtiam, ipſius Eſaiæ cõtextus. Statim enim atque de Cyro prolocut' eſt, adiecit de Chriſto, quod omnes norunt, & celebrant. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, &c. Vnde ſciendum, inquit Lyran. quòd Cyrus ibi non dicitur Chriſtus, niſi inquantum figura fuit Ieſu Chriſti: & ideò hæc litera ad Ieſum Chriſtum principaliter eſt referenda, vt ſit ſenſus: Sicut fuiſti cum Cyro, ad liberationem populi tui de Babylone, ſic eris cum

Cap. 45.

Hebræi etiam hoc de Chriſto interpretantur.

Ieſu Chriſto, ad liberationem populi tui de inferno: quæ ſalus figurata eſt per ſalutẽ populi, à Cyro factam. Itaque *egreſſus eſt* Dominus de maieſtate, de ceremoniis Iudæorum, vel de templo: vt ſui populi ſalutem operaretur. At verò dixerit aliquis, quomodo ex illa maieſtate egreſſus eſt? Non quaſi ipſam reliquerit, aut demutatus fuerit à ſumma illa poteſtate & virtute: ſed quòd in tantum ſe maieſtas humiliauit, ad hominum ſalutem veniendo, *Gloſ. interlin.*

Aethera quò poſſet ſeſéque oblita tueri.

Sic enim Chriſtus, Exiui, inquit, à Patre, & veni in mundum. Egreſſus autem vt Gigas fortis ad currendam viam. 2. Egreſſus eſt à ceremoniis illis antiquis, & templo Moſaico, vt veritatem ſui ipſius, & rerum promiſſarum in Chriſto porrigeret. Ait enim Chriſtus: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Lex per Moſen data eſt, ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. *In ſalutem cum Chriſto tuo.* Cæterùm bis non ſine magna emphaſi alludit ad nomen Ieſu, cùm ait, *Iat ſatha leieſſa Haameka*, & *leieſſa meſſieka*. bis enim legitur *leiieſſa*, id eſt, in ſalutem, è quo *Iaſſa*, ſaluauit, & Ieſus ſaluator dicitur. Theophilactus etiam hanc Prophetiam ita expendit, vt Chriſtus illi alluſiſſe videatur, cùm Chananeæ diceret: Non veni niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Hoc enim eſt veniſſe in ſalutem populi ſui. Sequitur autem ſimul cũ Theodoreto, traductionem Septuag.

τοῦ σῶσαι τοὺς χριστούς σου, vt ſaluares vnctos tuos. Propterea enim & Ieſus vocatus es, inquit Theophil. & adueniſti huc, vt ſerues vnctos ſanguine tuo, & Spiritu ſancto. Noluerunt quidem Iudæi vngi & ſaluari: alium igitur tibi populum vendicaſti, eorum ſcilicet, qui & vncti ſunt per baptiſmum, in mortem tuam baptiſati, vnctíque oleo exultationis, nempè Spiritu ſancto.

In horum igitur Chriſtorum ſalutem *egreſſus eſt* Deus de loco ſuo, quod etiam Michæas
Mich. 1. prędicit. Et egredietur de loco ſuo, vt ſaluet. Quia enim, inquit Hieronymus, hi qui indigebant ſalute, ad eum intrare noluerunt: ipſe egreſſus eſt de maieſtate ſua, & de loco ſuo, vt eos qui foris erant, duceret in terram manſuetorum, regionemque viuentium, de qua Adam fuerat expulſus. Sciendum autem, vt ſuprà diximus, quòd vbi poſuerunt Septuag. plurali numero, *Saluares Chriſtos tuos*: ibi in Hebraico legitur *Leieſſa Eth Meſſiheka*, quod Aquila trãſtulit, *in ſalutem cum Chriſto tuo*. Non quòd Deus egreſſus ſit vt ſaluaret populum, & ſaluaret Chriſtum ſuum: ſed quòd in ſalutem populi venerit cum Chriſto ſuo, iuxta illud Euangelij: Pater in me, & ego in patre, & pater in me manens, ipſe facit opera. Sed & Quinta editio ſimiliter tranſtulit, Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutẽ cum Chriſto tuo. Theodotio autem verè quaſi pauper & Hebionita, ſed & Symmachus eiuſdem dogmatis, pauperem ſenſum ſecuti, Iudaicè tranſtu-

tranſtulerunt. Egreſſus es in ſalutem populi tui ſaluare Chriſtum tuum. Rem incredibilem dicturus ſum, ait Hieronymus, ſed tamē veram. Iſti ſemichriſtiani Iudaicè tranſtulerunt: & Iudæus Aquila interpretatus eſt vt Chriſtianus. Sexta editio prodens manifeſtiſſimè ſacramentum, ita vertit ex Hebræo: *Egreſſus es vt ſaluares populum tuum, per Ieſum Chriſtum tuum*: quod Græcè dicitur, ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ ἰησοῦν τὸν χριστόν σου.

ORATIO.

1 TV igitur ô bone Deus, protector ſaluationum Chriſti tui es. Qui dixiſti, Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Quis enim extendit manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens fuit?

2 Conſerua igitur nobis pios Eccleſiæ Pontifices, conſerua Regem Chriſtianiſſimum, & fideles illos tuos, quos tanto pretio Chriſtus ille tuus Dominus noſter Ieſus, ſuo ſanguine redemit.

3 Egreſſus es olim per Moſen, per Gedeonem, immò Dauidem, & Cyrum in ſalutem populi. Quid non autem nobis maius ſpondeas per Chriſtum tuum, qui exinaniuit ſemetipſum, factus tibi obediēs vſque ad mortem crucis, vt nos ſaluaret?

4 Agnus quidem eſt, ſed & leo. Agnus eſt fidelibus ſuis, & leo qui fremitu terrenos ho-

mines & infideles facilè concutere poſſit.
5 Ille igitur dirigat omnia huius Reipublicæ conſilia , conſeruet nobis Chriſtos ſuos, nos ſibi vinculis pietatis & gratiarum conſtringat: & concutiat fremitu ſuo, quicquid eſt aduerſariæ poteſtatis. Qui viuit, &c. Amen.

HOMELIA XXIIII.

Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum. Selah. Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.

FOrtuna rotę olim cõparata eſt, quæ nunquam ſibi conſtet, ſed partem quam eleuauerit, ſtatim deprimat. Ex quo fit, vt quicunque honore aliquo eleuatur, id Pauli conſilium ſequatur. Qui ſtat, videat ne cadat. Nam ſi quid turbulenti in ęos incidat, tantò timendum eſt, quantò è ſuperiore loco in infimum deiecti, grauiorem caſum patiuntur. Et quidem facilè nonnulli in altum è minimis eleuantur, ſed maiore cum difficultate hîc ſeſe conſeruant, maximè ſi mediis illicitis ad illum gradum peruenerint.

-Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Sunt qui largitionibus, ſunt qui diſſimulatione,ſunt qui vi,ſunt qui certa alia induſtria in principatus eleuantur:ſed ſumma difficultas & ſollicitudo illos manet, ne labantur.

Aulus Vitellius occiſo Galba, largitione facta in milites, imperium adeptus eſt, & hoc quidem ei confirmatum fuerat. At ille ſui iam oblitus, & deliciis affluens, & crudelis mirum in modum, & prodigus, in inſtanti perdidit, quod multis periculis, amicis, largitionibus ambiuerat: etiã ſenſim & per gradus. Itaque ab eo ad Veſpaſianum deficere cœpit exercitus. Et cùm caput ſuum peti videret,in publicum prodiens, profeſſus eſt cedere ſe imperio quod inuitus recepiſſet. Tandem tamen à militibus irruentibus extractus è latebra, religatis poſt tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo,veſte diſciſſa, seminudus in forum protractus eſt, reducta coma à capite,ceu noxij ſolent, atque etiam mento mucrone gladij ſubiecto, vt viſendam præberet faciem, néve ſubmitteret, quibuſdam ſtercore & cœno inceſſentibus, corpus excarnificatum, vnco etiam protractum in Tyberim. *Sueton. Tranquill.* *In Vitell. cap. 17.*

Quanta difficultate Macrinus, quanta Maximini duo: qui & ab iiſdem occiſi ſunt, à quibus fuerant eleuati? Nam maledictus eſt qui confidit in homine. Itaque qui hominum fauore altum conſcendit, timeat & cautior ſit, ne fortè fauor ille in odium & inuidiam commutetur. Hoc non *Herod.*

tantùm in iis qui ſummam rerum ſunt adepti, ſed & in Regũ officiariis, & primariis aſſeſ-
Suetonius. ſoribus conſiderari poteſt. Fit enim aliquando, vt adinſtar ſpõgiæ comprimantur, ſtatim atque repleti fuerint. Quis enim non aduertat vetus prouerbium, Malè parta malè dilabuntur? Prouerb. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Prouerb. 17. Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cùm ſapientiam emere non poſſit? Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam. Hoc ergo Habacuk, Chaldæorum, & ipſius Nabuchodonozor exemplo docet. Nam alienis illi pennis gloriabantur, & cùm extraneos ſpoliaſſent, hinc ſibi magnum nomen conquiſierunt: ſed in momento Deus & eos, & eorum tam latè patens imperium reſcidit. *Percuſsiſti*, inquit, *caput de domo impij*. Huius etiam occaſione nos eleuat ad meditationem deiectionis Sathanę, qui tamen ſe Principem huius mundi gloriabatur, & Chriſto dicebat: Omnia hæc tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Eleuauerat ſe Pharao in pop. immò in Deum Iſraëlis. Percuſſit Deus caput de domo eius, à primogenito ſcilicet Pharaonis vſque ad pecus. Illa
Exod. 12. enim nocte, qua tumultuoſè populus ægyptum egreſſus eſt, percuſſit Dominus primogenitum Pharaonis qui in ſolio eius ſedebat. *Caput* erat, cùm ſederet in ſolio. *Et denudatum eſt fundamentum vſque ad collum*. Sunt enim filij fundamentum paternæ conſolationis. Vnde

ad Thobiā vxor, Emiſiſti à nobis baculum ſe- neƈtutis noſtrę. In filiis patres domos ſuas ſtatuunt, cùm per eos illorum nomina perdurāt. Hinc fit, vt qui filiis deſtituitur, & ipſe ſuæ domus fundamētum amiſiſſe dicatur. Quod & illa Thecuitis vidua ad Dauidem ſignificabat, per ſimilitudinem duorum fratrum, filiorum ſuorum, quorum per rixam nullo prohibente vnus ab altero in agro occiſus ſit. Et conſurgens omnis cognatio aduerſus ancillam tuam, dicit: Trade eum qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum, pro anima fratris ſui quem interfecit, & deleamus hæredem. Et quærunt extinguere ſcintillam meam quæ reliƈta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen, nec reliquiæ ſuper terram. Eſt enim filius velut patris imago. Genuit Adam Seth, ad imaginem ſuam. Et ſicut Phœnicis cineribus alius excitatur, quo in vno immortalis volucris redditur: ita è patre filius, & ſic in immenſum ſeries generationis producitur. Ex quo efficitur, vt cùm Dominus euerſionem domus alicuius minatur, non ipſam modò ſtatuat in lapidibus, ſed in filiis. Sint lapides fundamentum domus, ſed materialis & artificialis: filij videntur eſſe fundamentū generis, aut etiam ipſi patres. Quod enim ſuperſtruitur expeƈtationis, in filios coniicitur. Hæc eſt igitur Scripturæ vſitata comminatio, Reſcindam vſque ad mingentem ad parietem. Et licet olim cùm Iſraëlitæ exteras

1. Reg. 14.

nationes eiicerent è promiſſionis terra, fœminis pepercerint, ſæpius tamen omnes maſculos in ore gladij peremerunt, vt reparandæ illius Gentis nulla ſpes ſupereſſet. Et hac quidem ratione ducebatur Pharao, cùm iuberet maſculos infantes ex Iſraël occidi, fœminas autẽ reſeruari. Itaq; Dominus euertit *fundamentũ* domus Pharaonis, cũ primogenitũ ipſius occidit. *Vſque ad collum*, ſiue hoc ad Principẽ, ceu cæteros magiſtratus extendamus. Sicut enim collum proximum eſt capiti, ſic duces & Principes ad Regẽ propiùs accedunt. Atqui & illi ſimul cum ipſo Rege demerſi ſunt. Sunt qui per *fundamentum*, exercitũ Pharaonis intelligant. Imperatoria enim maieſtas legibus & armis defenditur. Leges pacem, arma bellum pro obiecto habent. Atqui Ægyptus in exercitu numeroſo gloriabatur. Verùm & hoc fundamẽtum ſublatum eſt. Quòd ſi quis ſtatim in ægyptum graſſatus fuiſſet, vbi & exercitus ſubmerſus eſt, tam ei facilè præualuiſſet, vt domui cuius ſundamentùm ſubuerſum eſt. Magnum enim imminet diſpendium Reipublicæ, ſtatim atque fuſus fuerit exercitus: cùm primus ille rumor omnes concutiat, Hinc Cannenſi clade facta, poterat Annibal Roma potiri, ſi fortunam ſecutus fuiſſet. Ergo ſubuerſio Ægypti facilis erat: nam & ipſa denudata à fundamento, id eſt exercitu, vſque ad collum, id eſt ad Principes. Hoc etiam Chaldæis contigit.

Heb. Vvatablus.

Plut. in Annibal.

Percußit Deus caput de domo impij. Diximus Nabuchodonozor impium fuiſſe, vt qui nec ſacris quidem locis, vaſis, altaribus pepercerit: ſed ciuitate potitus, templo ſpoliato ignẽ immiſerit. Dedit & aliud ſuæ impietatis ſpecimen, cùm nomen Dei Iſraël ſupprimere tentauit, erecta aurea ſtatua, & mandato facto, vt ei cultus ſummus deferretur. Fuit & idem impius in ſeruos Dei, cùm eos in fornacem ignis mitti præceperit. Iam illius impij domus, fuerit familia, fuerint ſcilicet & filij. Habuit ille filium Balthaſar. Nam & eum Baruch commendabat precibus populi, ita ſcribens: Rogate pro vita Nabuchodonozor, & Balthaſar filij eius. Erat & ille caput, primogeniti ius adeptus, cùm patri in imperio ſucceſſerit. Et licet dicat Dominus, filium non portaturum iniquitatem patris: tamen & in illum vindex Dei manus ſæuiit. Nam hoc intelligitur, non ſæuire quidem Deum in filios, ſi modò illi vitam in melius duxerint: aut ſanè non pati æternam, ſed temporalem pœnam. Quid igitur? Percuſſus eſt à domeſticis, &c. Quomodo itaque hîc legitur percuſſus à Deo? Vtique quia Deus id ſiuit, & permiſit fieri, in vindictam Ebrietatis, & prophanatæ precioſæ ſupellectilis. *Denudaſti fundamentum eius vſque ad collum*. Quod fundamentum Aſſyrij imperij? Fuerit ipſa Babylon. Denudata eſt & ſpoliata à minimo vſque ad maximũ. Fuerit exercitus, & ipſe Perſis ſubmiſſus

eſt. *Maledixiſti ſceptris eius*, ceu cõfœderatis Regibus, ceu prouinciarum rectoribus. Quid autem maledictio Dei quantumuis potentibus hominibus non adimat: ſed & *capiti bellatorum* eius, principi militiæ? Non enim in fortitudine ſua roborabitur vir. Quid non adferat roboris benedictio Domini? Quid non Ioſué, Iephté, Samſoni, Dauidi? Hinc eſt quòd nonnulli tribus vim armorum ſtare ſcripſerunt, numero ſufficienti fortium virorum, capitaneis magnanimis & expertis, & fortuna fauorabili. Eapropter Fortunæ templum celeberrimum in vrbem admiſerunt, & Plutarchus de fortuna Romanorũ, & de fortuna Alexandri & Cæſaris ſcribit. Sed neque hoc fortunæ tribuendum eſt, ſed Deo omnia diſponẽti. Hic enim ille eſt Deus tſebaoth, celebratus à Seraphicis & Cherubicis ſpiritibus.

Tit Liuius Dec. 1.

Ex hac igitur Prophetæ ſententia diſcimus, è Dei benedictione proficiſci, ſi quid magnum in principe exercitus fieri videmus. Ex eius maledictione conſequi & Principum & exercitus internecionem. Hac quidem ratione Balac Rex Moab conduxerat Ariolum Balaam, vt in nomine Dei malediceret Iſraëli: certò ſibi victoriam repromittens, ſi id contigiſſet. Quòd ſi quis requirat, cur Deus hanc ſtragem immiſerit Ægyptiis aut Chaldæis, adiicit, *Venientibus vt turbo ad diſpergẽdum me*. Maledixit enim eis De⁹, quia venerant ad diſpergendum Iſraëlem.

In perſona enim propria in ſe concurriſſe illos ſcribit Propheta, quod tamen de vniuerſa plebe intelligendum eſt. Sed hic erat zelus eius, vt iniuriam Iſraëli illatam ſibi propriam eſſe cẽſeret. Et quidem apta ſimilitudine furorem Chaldæorum exprimit. *Venerunt vt turbo.* Quid illo velocius? Quid inſtabilius? Quid volubilius? Hinc & hæretici nubes turbinibus exagitatæ vocantur. Quid item turbine pernicioſius, quo nonnunquam contingit viridem & luxuriantem ſegetem deſiccari & aduri? Quam etiam perniciem non attulit Chaldæorum exercitus vniuerſæ Iudæorum nationi? Contingit paleas & terræ puluerem, & leuia quæque diſcuti & diſpergi à turbine. Sic impij tanquam puluis ceu gluma quam proijcit ventus à facie terrę. Ergo quia Iudæi inſtabiles fuerunt in fide, quia non recurrerunt ad Dominum ſuum, ideò ſtatim atque eos turbo inuenit, diſcuſſit quoque & diſperſit.

Obiter igitur notat cauſam captiuitatis populi & miſeriam enaſci, ſi quando de Deo, & ipſius myſterijs dubitauerit. Statuamus enim eos, qui fideles, ceu Chriſti Eccleſiam opprimunt, hæreticos nimirùm, Barbaros, Turcas, & alios quoſcunque, inſtar turbinis eſſe: quid illi poterunt contra eos, qui omnem ſuam fiduciam in Deum coniecerunt? Quid poteſt turbo in domum, ſi fundata fuerit ſupra firmam petram? Quid ſi in Chriſto radicati fuerimus? At verò ſi nos è petra ſemoti, adinſtar

paleæ leues & inſtabiles in opinione reddimur, quomodo non leui turbine & calamitate impellamur? Auolent quantum volent paleæ iſtæ leuis tritici, tanto purior area Domini remanebit, inquit Tertullianus. Statim atque Petrus vidit ventũ validum venientem, & timuit, ſimulque dubitare cœpit, cœpit & mergi, qui priùs ſuper aquas ambulabat. Et ei à Chriſto dictũ eſt, Modicę fidei, quare dubitaſti? Ergo captiuitas illa contigit Iſraëli, quia deſciuerãt à Deo: vnde & diſperſi ſunt in varia Aſſyriorum oppida: donec confuſis eorũ inimicis, in terram ſuam reducti ſunt.

Tertull. de præſcript.

Cæterùm & hæc Prophetia latiùs quàm ad Chaldæos protenditur: cùm Iudæi etiam ipſi & antiqui Patres, ex ea Chriſti victoriam & beneficia conſiderent. *Egreſſus eſt*, inquit, *Deus, in ſalutem cum Chriſto ſuo*, quoniam non reliquit me ſolum, ait Chriſtus. Et Philippo: Neſcis quia ego in patre, & pater in me eſt. Et rurſus: Pater in me manens, ipſe facit opera. Ergo & hic in Chriſto ſuo ſalutem noſtram operabatur. Quòd ſi quis requirat, quomodo ſalus illa nobis contigerit, adijcit. *Percußiſti caput de domo impij.* Impium eſſe Sathanam nemo negauerit, cùm ſe primùm eleuarit in Deum, dicens, Aſcendam, & ſimilis ero altiſſimo. Et hoc eius ſit vnum ſtudium, vt nos à Dei cultu auocet. Sed & quid ſuperſtitiones, incantamenta, idololatriæ, & id genus ſcelerũ, niſi impietates Sathanicæ? Quid item peccata, quibus Deus offenditur? Porrò illius impij,

illius omnis impietatis patris *domus* eſt hic *Hiero. l. 2. in Habac.*
mundus. Nam & ille atrij nomine cenſetur,
his Chriſti verbis: Cùm fortis armatus cu- *Luc. 11.*
ſtodit atrium ſuum, *caput* ipſius, virtus illius
eſt & robur. Hoc autem Chriſtus caput contriuit: ſicut & primùm repromiſerat Deus de ſemine mulieris, ad ſerpentem dicens: Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius: & ipſum conteret caput tuum. Hæc eſt ſumma ſalutis: quia in hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli. Poteſt & hoc de filio
illo perditionis, cuius meminit Paulus, in- *2 Theſſ. 2.*
telligi. Tunc enim, inquit, reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Hoc autem de Antichriſto intelligitur: quem à Sathana caput conſtitutum ita demonſtrat. Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus. Apocalyp. 13. Et dedit illi Draco virtutem ſuam,
& poteſtatem magnam. Atqui de Draco- *Eſ. 11.*
ne hæc Eſaias; Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Cæterùm vi quadam maiore concuſſio regni Sathanici exprimitur Hebraica dictione *Mahatſettha Ros*, tranſfodiſti caput: nam Percutere minus quid dicit. Poteſt quis percuti, & non tamen interfici. Sed quis caput transfoderit, & non vniuerſum corpus pereat? Sic ergo

viribus ſuis Sathanicum regnum deſtituiſti, vt ſi corpus corruat, capite ipſo trāsfoſſo, *denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Quod fundamentum? Doli, imposturæ, mendacia, illecebræ. Sic enim -*decipimur ſpecie recti.* Atqui hæc omnia denudauit, confudit & deſtruxit Chriſtus ipſe, etiam in ſuis Apoſtolis: non minus quàm ſi quis aliquem ad collum nudum porrexerit. Et hoc primum, cùm ille ad Chriſtum acceſſiſſet, pro fundamento ſtatuebat, pietatem, fidem etiam de Chriſto filio Dei, dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Adiecit & fundamenti ſui ſuæ ſuggeſtionis velamen ſcripturam, dicens: Scriptum eſt, Angelis ſuis Deus mandauit te, &c. Sed denudauit hæc Chriſtus, & oſtendit falſò prætexi ſcripturam & verbum Dei. Sicque denudauit ſuis armis & fundamētis, vt cōfuſum à ſe reiecerit. Quod autem ille tunc fecit, idem etiam per hæreticos operatur: Fundamentum quidem prætexens, ſed doloſum, quaſi hamum eſca opertū.
Tertull. De ſcripturis enim agunt, de ſcripturis ſuadent. Vnde enim probare poſſent niſi è ſcripturis? Ergo pro fundamento videntur habere ſcripturas, veritatem, religionem: ſed tandem Chriſtus *denudabit hæc vſque ad collū.* Laruata enim, fucata, & velata ſunt hæc omnia. *Selah* additur ad eleuationem vocis & mentis: quòd hîc repoſita ſit ſpes noſtra. Nam quantumuis Eccleſia opprimatur, & veritati imponatur: denudabit tamen Dominus, & ridē-

dum proponet impiorum fundamentum. *Maledixiſti ſceptris eius*, ceu vniuerſis Principibus tenebrarũ, vt non ſeducant ampliùs Gentes. Sed & in ſerpente maledixit Sathanæ, *capiti bellatorũ eius*. Nã & illi ſunt exercitus ſpirituales, in perniciem noſtram parati: quorum capita ſunt Principes & poteſtates huius aëris & tenebrarum harum. Atqui contrita ſunt illa capita, vt facilè in Chriſti nomine illis reſiſtere poſſimus. *Venerant enim vt turbo ad diſpergendum nos*, in varias tentationes, & opiniones. Sic Chriſtus ad Petrum: Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. *Nakautha Bemathaio Ros*, Perfodiſti in baculis caput eius. Nam & ſumma in Deum fiducia caput Sathanę transfodimus. Baculo quidem ſuo Iacob tranſijt torrentem Iaboc, nos vallem huius miſeriæ, cum diuina fiducia penetramus.

Sed & turbines hæretici ſunt, qui in varias opiniones ſuos diſtrahunt, ne in vnitate & ſoliditate fidei permaneant. Diſpergũt à Deo, ab Eccleſia, à Principibus, parentibus, fratribus, ab ipſis etiam Angelis & beatis.

ORATIO.

1. NAm qui non colligit tecum, diſpergit, ô Deus. Tu verò collige nos ad te, & in fidei ſimplicitate retine, ne ſi opinionibus innixi fuerimus, leui tentationis turbine diſpellamur.

2. Cui enim magis quàm tibi deferamus id quod ſtamus? Exaltas & humilias, deducis ad

inferos & reducis. Non quòd peccatis occaſionem præſtes, ſed quòd ingratos abijcis, induratorum virtutem frangis, vt interim reſpirent electi tui.

3. Tu igitur denuda fundamentum impiorũ Barbarorum & hæreticorum vſque ad collum: fac vt omnes intelligant, quàm falſa ſint eorum dogmata, quàm pernicioſi illorum conatus.

4. Tolle robur ab ijs, & eos diſperge: infatua conſilium eorum, vt ſola victrix permaneat Eccleſia tua. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XXV.

Exultatio eorum ſicut eius qui deuorat pauperẽ in abſcondito. Viam feciſti equis tuis, in luto aquarum multarum.

INter animalia bruta, ea maximè auerſamur, illiſque bellum perpetuum indicimus, quæ homini minimè prodeſſe, ſemper autem nocere conſueuerũt, nec vllam adferunt voluptatem. Sunt qui leones, ſunt qui tigrides, quanuis violentas feras, demulceant & nutriant, ſed ſpectaculi gratia: quòd in ijs contemplandis aliquam voluptatẽ conſequantur. Cæterùm nemo aſpides, cantharides, baſiliſcos aut viperas nutrierit, quòd & ipſæ ad perniciem hominum natæ eſſe vi-

deantur: ſed ſtatim atque aliquam animaduerterimus, non quieſcimus quin ipſam extinguamus. Sunt & inter minutiſſima, apes quas curioſè requiramus, ſunt fuſci & veſpæ quas perſequamur. Et vermes illi, qui fructus & folia corradant, cum his continuum eſt bellum, niſi fortè noſtram ipſi ruinam amplectamur. Et quidem aduerſarijs his animantibus Plutarchus confert diuites illos, & potentes quoſque, qui aliena inuadunt, & in fraudem inducunt. Adeò vt qui ſaluum voluerit eſſe Reipub. corpus, tanto abeſt vt eos nutriat & foueat, ſed bellum illis indicat, & vt hominum peſtem & perniciem auerſetur. Qui viuunt, non vt proſint, ſed ſemper noceant: nunquam de ſuis communicent, ſed aliena rapiant. His confert Propheta Tyrannos, Barbaros, ipſum etiam Sathanam, & illos omnes, qui Dei populo aduerſati, etiam à Deo exterminati ſunt. *Lib. decup. diuitiar.*

Contulit primùm eos turbini, propter inconſulta conſilia: nunc confert auaro rapaci, propter furta, ſacrilegia, & indignè conquiſitas opes. Sed & illos ſibimetipſis comparat, quàm nimirùm diſſimiles fuerint, cùm inſultarent Iſraëli, & cùm à Chaldæis vincerentur. Quaſi dicat: Quanta illis erat exultatio, cùm Hieroſolyma potiti ſunt, & omnia liberè patrarunt? Cùm Regem abducerent, nos etiam captiuos traherent, & opima quæque ex nobis ſpolia reportarent? Sic enim Eſaias: Lætabuntur coram te, ſicut læ-

tantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Iam ſibi ſummam rerum pollicebantur, & ſecura omnia: ſed

-ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Homer. in βατρα.

Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Quàm igitur ſibi fuerunt abſimiles, cùm interempto eorum Principe, Perſæ Babylonem occuparunt? Deriſerant alios, deridebantur. In captiuitatem deduxerant, & captiui trahebantur: alios ſpoliarant, & ipſi ſpoliabantur. Similis igitur erat *eorum exultatio*, *ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcõdito*. De quo alibi. Inſidiatur vt rapiat pauperem, inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Similes quidem magnis illis piſcibus qui paruos deuorant: & araneis, quæ cùm grandiores muſcas retinere non poſſint, paruas tamen inuoluunt. *In abſcondito* autem dicit, ne tu illos aperto marte in pauperes graſſari arbitrere. Sic nemo ſe latronem profitetur, ſed omnia pro Regis obſequio facere profitetur. Quis enim adeò inhumanus, in pauperibus nõ agnoſcat naturam ſuam? Etſi verò hæc minimè meditatur, ſaltem non vereatur nomen crudelis ſortiri & ingrati, cùm omnes ex Deo ſimus? Hoc ſcilicet ipſe etiam Iulianus, ex Cumæo Vlyſſis paſtore apud Homerum didicit: qui quàm gratanter quoſuis hoſpites exciperet, hoc carmine declarauit:

Non permittit De⁹ raptores populi diu prada lætari: alius nimirùm illam rapit.

Pſal. 9.

Greg. Nãzan. de paupertate fouenda.

Hoſpes, vel ſi te noſtras aduenerit ædes
Aduena deterior, iuſtos auferret honores.

Nam

Nam ipſius vnius omnium patris exemplo ad hanc in pauperes miſericordiam, eum indu-cebat, cùm adijcit,

πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε, πτωχοί τε. Itaque nè cru-deles illi ſe homines obliuiſci videantur, etſi deuorent pauperem, deuorant tamen in abſ-condito. Et quid hoc *abſconditum*? Fraus, do-lus, prætextus potentiæ & authoritatis, aut iuris alicuius, cum omni iniuſtitia & rapina. Si mercator ſtateram doloſam, menſuram fal-lacem habeat: ſi miles non contentus ſtipen-dijs, prætexat obſequium Principum, vt pau-perem deuoret: ſi Princeps abuſus authorita-te, tyrannidem exerceat, quaſi eius ſint om-nia: ſicut & cùm Achab ſæuijt in Naboth iu-ſtum, vt haberet vineam eius. Hanc non po-terat iure accipere, videbat ſibi recuſari à Na-both: prætexuit igitur fucum, ſcribens ma-giſtratibus, Benedixit Naboth Deum & Re-gem. Sub vmbra illius accuſationis, quaſi *in abſcondito* latebat impius Achab, vt pauperem deuoraret. Eſt & aliud *abſconditũ*, & quaſi ſpe-lunca latronum, & cubile leonum, prætextus adminiſtrationis iudiciariæ, quo ſpoliantur omnes & diuites & pauperes. Nam forenſes iſti, dum iuſtitiæ ſe miniſtros eſſe profitẽtur, nónne hoc prætextu ſecurum vtraque ex par-te accipiendi, & pauperis deuorandi ſpeci-men aſſumpſerunt? Hos Gregorius Nanzan-zenus, & quotquot in magnis Reipubl. mu-neribus & adminiſtrationibus verſantur (vt

Tot dilationes.

Orat. in fun. patris.

Theſaurarios , Receptores) publicis bonis Briarei manus inijcere, ac ſcelerato quæſtu turgeſcere ſcribit. Cæterùm Briareus Gigas fuit, qui & Ægeon, à Virgilio ſic deſcribitur.

Aeneid. 10.

- Centum cui brachia dicunt
Centenáſque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribus arſiſſe: Iouis cùm fulmina contrà
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.

Atqui & boni iſti patroni tot ora habẽt, quot contrarias partes amplectuntur: aut ſaltem ex vno ore, frigidum & calidum exſufflant. Tot manus, quot ambiunt munera: vt nihil illis ſit aut grauius aut calidius. Sunt & alij non omninò abſimiles, qui prætextu officij alicuius

Inuentores ſubſidiorũ.

in Principem, non modò illum ſpoliãt, ſed & populi ſanguinem exuggunt. Vbi corpus, ibi aquilæ, inquit Chriſtus: & Salomon, Vbi mul

Eccle. 5.

tæ ſunt opes, multi qui comedunt eas. Vale ô Imperator & Imperatoris aula, inquit Greg. Nanzanzen. num tamen aulici tui fidi ſint, ignoro. Sũt enim illi & ſerui & obſequentes diuitijs, non Principibus. Hoc quidem Alexander, vt erat prudentiſſimus, non ignorauit: qui ex primis & potentiſſimis amicis duos habere videbatur, Craterum nimirùm & Hephęſtionem. Et vnum quidem Craterum honorabat maximè: in Hephæſtionem verò ciuili quodam amore ferri cenſebatur. Non quòd non Hephæſtionem plus amaret, ſed quòd ille nõ honoris & mercedis gratia Principi obſequeretur. Alterum qui id proſequebatur, multo magis honorabat. Et quidẽ ait,

Κρατέρος μὲν γὰρ φιλοβασιλεὺς ἐστι, Ἡφαιστίων δὲ φιλαλέξανδρος. quòd ille eũ propter gradũ diligeret, alter verò amore amplecteretur, nõ habita ratione fortunæ. Atqui ficto illi obſequio & amore venãtur diuitias: quas nonnunquam in eorum diſpendium conuertunt, qui eos extulerunt. Sic *in abſcondito* ſubſtantiam pauperũ deuorarunt. Cæterùm, tãtò abeſt, vt cũ talia faciunt, pœnitẽtia ducantur, immò *exultatio illis eſt*, non habito diuini iudicij reſpectu. Sed quã breue hoc gaudiũ futurũ eſt? Nõ maiusquàm huius qui exclamabat, Fruere anima mea, hæc tibi repoſita ſũt in annos plurimos. Huic enim dictũ eſt, Stulte, hac nocte repetunt animã tuã. Sic cùm illi efferri cœperint, aut à Deo vocãtur, aut etiã Principis iuſſu repetũdarum accuſantur. Sicque fit de ijs, vt de porcis, quos cũ impinguauerimus, occidimus. Quoniã incraſſatus dilectus dilatatus eſt, & recalcitrauit: nõ agnouit Deum benefactorẽ ſuũ. Huius exẽplo in prõptu ſunt, non ſi nouiſſima, ſed etſi antiquiſſima conſideremus. Hadrianus quidem eos, qui ſuis & publicis pecunijs ditati fuerant, omnia refundere iuſſit. Nero Senecam, quem ditauerat, non modò bonis, ſed & vita ſpoliauit. Inde quidam amicos Regum teſſeris compararũt, quarum alia nunc, nunc alia contingunt.

In Apoph.

Aelius Spart.

Plut. in Apoph.

Quæ igitur in his eſt ſecura exultatio, quæ tam breui in inferiorem & deteriorem caſum mutantur?

Gaudiũ ſtulti adinſtar ignis, qui è ſpinis na-

ſcitur. Talis fuit exultatio Chaldæorum, ſed breuis. Talis Sathanæ: ſed, vt ſcribit Prudentius,

Stragem iſtam non tulit
Chriſtus cadentum gentium:
Ideò venit in ſalutem.

Deuoraturus erat nos Sathan, *in abſcondito* tentationum. Hic enim eſt, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. In hoc exultat: quemadmodum ſcriptum eſt, Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero. Ideò orat vir ſanctus, Neque irrideant me inimici mei. Et Micheas, Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi. Conſurgam, Dominus lux mea eſt. Sicut enim exultant Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſic iſti in caſu hominum. Sed maiorem ſibi cruciatum acquirit, *Viam feciſti in mari equis tuis*. Hoc non modò contra Ægyptios, ſed & contra Chaldæos per Perſas, Euphrate diuiſo. Dicitur autem Euphrates mare, more Hebraicò, quo congregationes omnes aquarum maria nuncupantur. Equos autem Dei nuncupat, equos Perſarum, quòd illos dirigeret, & animaret Deus. Aut per equos, electos quoſque intelligere poſſumus, in quibus ſedet, & præliatur. Mare autem ſeculum eſt: illud quidē aduerſarium & inimicum electis ſuis. Si me, inquit, perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Scitote etiam quia me priorem vobis odio habuit. At verò per hoc ſeculum Deus iter aperuit, quod inuium erat Apoſtolis. Quomo-

do enim illi in tot incognitas regiones perue-nire, & illis leges imponere potuiſſẽt, niſi De' iter aperuiſſet? Itaque ſicut præceſſit Moſen & vniuerſum populum in igne, adijciens etiā columnam nubis: ita præceſſit Apoſtolos, & eos omnes qui fructum Euangelij protulerunt. Ait ille ſcilicet: Sine me nihil poteſtis facere. Sed nec ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficiētia noſtra ex Deo eſt. Inuium quidẽ iter aperuit Iſraëli per mare & Iordanem: ita dura quidem erant Barbarorum corda, ad quos perrecturi erant diſcipuli: ſed ipſe duritiem hanc abſtulit, & facilem eis viam aperuit. Timebat Moſes in cõſpectũ Pharaonis prodire, quòd blæſus eſſet: Idem accidit Eſaiæ, quòd ſe labijs immundũ cauſaretur: Idem Hieremiæ, ſed Deus omnia hæc obiecta reiecit, cùm id quod Prophetis ſuis deerat, adiecit. Idem quoque contigit Apoſtolis. Timebat Ananias venire ad Paulum, quòd multa nimiùm crudelia & aduerſaria audijſſet. Sed quid Dominus? Vas electionis eſt mihi iſte. Timuiſſet Petrus congredi Gentibus, & Centurionem conuenire: hoc ſibi iter occluſum putabat, ſed viam fecit Dominus, oſtendens illi in velo, nihil immundum eſſe iudicandum, quod ſanctificauerit. Thomas, Mitte me, inquit, non tamen ad Indos: & tamẽ magno cum fructu, Parthis, Medis, Perſis, Hircanis, Bactris, & Magis Euangelium promulgauit. Quàm difficile enim erat penetrare, & Chriſto lucrari anthropophagos ho-

Theoph.

Act. 9.

Hieron.

mines,qui nec Deum,nec ſeipſos norant? Sed hoc fuit opus Dei.

Viam feciſti in luto aquarum multarum. Diſtracto curſu Euphratis magnum lutum ſuperfuit,ſed tamen quod Deo duce facilè penetraretur à Perſis. Ita quidem magnum erat in omnibus lutum concupiſcentiarum : magnæ ſordes anteactæ vitæ , in ijs ad quos venerant Apoſtoli. Sic nimirùm in Apocalypſi, comparantur impij ranis, quæ coaxant in limo, concupiſcentiarum: & ex ijs argumentũ contra ſanam puramque doctrinã, imponi ſui clamoris accipiunt. Quantum enim lutũ differt ab aquæ liquidiſſimo & puriſſimo latice, tantum ſpiritus eorum differt à ſpiritu Dei. Nam ſecundum carnem ſapiunt : animalis autem homo non percipit quæ Dei ſunt. Itaque quia nemo eſt tam iuſtus qui non peccet, ideò ſupponit omnes per lutum gradiri. Nam quicquid in mundo eſt , aut eſt concupiſcentia carnis,aut oculorum, aut ſuperbia vitæ : ſed eorum alij luto detinentur, alij ſe ab eo purgant, alijs iter ſic paratur , vt vel minimùm inficiantur. Detinentur obſtinati peccatores: ſe purgant, alij per pœnitentiam. Aſperges me Domine hyſſopo, &c. Alios autem Deus ſic eripuit à luto, vt gratiam ipſius mirari poſſent. Ideò gloriatur Dauid: Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Vnde Auguſtinus moraliter hæc expendens, Vidi ex ore Draconis,& ex ore beſtiæ , & ex ore Pſeudoprophetæ,ſpiritus tres immundos

Damaſus in Apoc.

Hom. 13. in Apoc.

in modum ranarum: ſic ſcribit. Quando aliquis ſe conuertit ad Deum, & pœnitet fuiſſe ſuperbum, adulterum, ebrioſum, cupidũ: qui iſta peccata, quæ alius confitendo, reliquit, imitatur, cogitans apud ſe, & dicens, Facio quod volo, & poſtea quomodo agit iſte pœnitentiam, & ego ago. Et ſubitò dum ei ſuperuenit vltimus dies, perit cõfeſſio, & reſtat damnatio: iſte qui talis, dum alios non ad bonum, ſed ad malum vult imitari, *in luto*, vnde alius liberatus eſt, velut rana inuoluitur, & volutatur. Idem alibi. Nemo Deũ timens, ſub verbis eius non ſe corrigit, niſi qui putat, quia plus habet, viuere. Et quidem dicunt, Cras cras, & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum colũbinum. Cras cras corui vox eſt (quæ ad coax ranarum accedit.) *De verb. Dom. ſer. n. 16.*

Cui nõ diſpliceat diu luto inuolui? Et quid iſtæ carnis obſcœnitates non habent abominabilius? Ad hoc illas amplectimur, non vt animæ, quæ imaginem Dei habet, gratificemur, ſed vt corpori. Quod quid aliud eſt, quã vile lutum, quàm putredo? Putredini dixi, inquit Iob, pater meus, mater mea & ſoror mea vermibus. Corpus nimirùm ex immundo ſemine, in putrorem, & infectionem, in vermes & buffones reſoluitur: cui tamen ſic adblandiuntur, qui in vitijs deliteſcunt.

ORATIO.

1. Atque vtinã tu ô Deus, verã futurorũ expectationẽ & ſpem reponas in ſinu

noſtro. Nec in craſtinum emendationem differamus, & cras coruinum imitemur: ſed ad inſtar columbæ meditemur cum gemitu, & in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, tuam miſericordiam imploremus.

2. Vtinam lutum concupiſcentiarum iſtarum abhorreamus. Quem enim fructũ habuimus in illis, in quibus ſtatim erubeſcimus? Quàm breuis humanarum deliciarum exultatio? Quàm lubrica bonorum poſſeſſio?

3. Lutum quidem altum eſt: ſed eripere nos potes ab eo, qui viam feciſti equis tuis electis, vt in carne ambulantes, ſpiritu viuerent: & hîc quidem in mundo eſſent, ſed in cœlo cõuerſarentur.

4. Trahe igitur nos ad te, vt è luto iſto erepti, curramus in odorem vnguentorum tuorum, gratiarum tuarum. Et ab hac noſtra Republica raptores, fures, & eos qui boni publici prętextu, hoc vnum contendũt, vt pauperes ſpolient. Eripe nos ab his monſtris, vt aliquando tandem tua pace perfruamur. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XXVI.

Audiui & conturbatus eſt venter meus, ad vocem contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat. Vt requieſcã in die tribulationis, vt aſcendã ad populũ accinctũ noſtrũ.

SI oborta tempeſtate, aliquam eorum qui mare nauigant, contingat in medios fluctus delabi, etſi quidem huc & illuc impulſus, modò etiam fluctibus obrutus longam iactationem patiatur, & quaſi deſperatus habeatur: ſi tamen alicuius beneficio euenerit, vt aut è ſummo ſcopulo, aut ex alta naui funis ei protendatur, quis arbitretur adeò deiecti illum animi futurum, quantumuis laceſſitum, vt non enitatur funem illum manu comprehendere, apprehenſum autem minimè laxet, ſed neque moriturus, donec illum in altum extraxerint? Hac quidem ſimilitudine Chryſoſtomus docet, quãtum etiam in iis quæ deſperata cenſeantur, ſperandum ſit. Habet enim hæc meditatio locum in priuatis & publicis calamitatib9. Et priuata quidem ſic expendit Chryſoſtomus, vt onerata peccatis animâ, Sathan deſperationis fluctus in nos immittere nitatur. Atqui licet ſponte quis aut tentatione victus, ſeſe in mare peccatorum & tentationis deiecerit: etſi de mari ſalſo illo biberit, & concupiſcentias impleuerit, ſupereſt tamen ſpes remiſſionis quæ illum releuet. Diabolus, inquit, in varias deſperationis cogitationes nos immittit, quò excludat in Deũ expectationem, hoc eſt, anchoram tutam, ſubſtantiam vitæ noſtræ, manuductionẽ ad eam viam, qua in Deum ferimur, ſalutem perditarum animarũ. Ipſa enim ſpe ſeruabimur. Spes non confundit, inquit

Epiſt. 5. Parænet. ad Theod. lapſum.

Apoſtolus. Nũc autẽ ſi triſtem alicuius regni ſtatum contemplemur, peior ille eſſe non poteſt, quàm illius noſtri naufragi. Irruant fluctus, graſſentur bella & ſeditiones, & ipſa ſui exitiũ minari videatur. Ponamus omnes nos in eodem eſſe periculo, obrui, ſuffocari, deprimi, nihilq́ue ſupereſſe videri quàm ipſam mortem: ſi tamen aliquis noſtri miſertus funem dependat, num omnes ad illum procurremus? Num ſperabimus? Atqui ſpes ea eſt ipſa catena aurea & firma, inquit Chryſoſt. qua de cœlo propenſa ſubducimus animas noſtras, quæ breui ſurſum in illud faſtigium retracta, eos qui ipſam fortiter manibus ſeruant, euellit & rapit ſupra fluctus præſentis vitæ, omnium longè perículoſiſſimos. Hoc tãtùm requiritur, vt ceu nos priuata, ceu publica mala perturbant, ad illum funem, ad illam ſpem concurramus, & vel ibi morituri, illam minimè laxemus. Solent enim qui ſic obruũtur, manu conſtanti retinere ea quę ſemel apprehẽderint. Hoc etiam Iob, Etiamſi, inquit, occideris me, adhuc in te ſperabo. Ne quidem funem laxat; vnde & ab eo, in quem ſpẽ immiſerat, ex illa miſeria, ex ſterquilinio, morbo, & paupertate liberatus eſt. Hanc ſpẽ nobis ſuo exemplo conciliat Propheta. Nam primùm quidem territus & totus concuſſus, in meditatione eorum quæ populus Dei paſſurus erat, tandem reſoluitur, ipſemet pauci ducẽs propriam calamitatem, immò & illam deſiderans, dummodò poſſit *aſcendere ad popu-*

lum accinctum ſuum. Neque enim frangemur ceu priuatis ceu publicis afflictionibus, ſi modò perpendamus hanc Pauli ſentētiam: Deus non patietur nos tentari vltra id quod poſſumus, ſed faciet cum tentatione prouentum.

Audiui, inquit, *& conturbatus eſt venter meus*. Recurrit ad initiū ſui Cantici, *Audiui auditū tuum, & timui*. qua repetitione magnā ſui animi concuſſionē indicat. Dicuntur quidē Prophetę videntes, & tamen iſte auditu ſe ventura cognouiſſe dicit. Atqui Videntes nūcupati ſunt, non quòd corporeis, ſed ſpiritualibus oculis futura cernerēt, in verbo. Hauritur autē verbū nō viſu corporeo, ſed auditu. Quod enim eſt oculus viſui, aut rei viſę, hoc auditus rei intellectæ. Quomodo credent ſine prędicante? Fides enim ex auditu, auditus autē per verbū Dei. Vnde Eſaias de Chriſto, Domin⁹ aperuit mihi aurem, ego autē nō contradico.

Audiui, inquit, nimirùm reuelationes illas tuas, de populi mei captiuitate, & Chaldęorū excidio. *Et cōturbatus eſt venter meus*. Phraſis eſt Heb. qua deſignat cōmotū eſſe cor ſuū, quod erat in ventre, id eſt, in pectore ſuo. *Mon cœur s'eſt ſaiſy*. Heb. dictio eſt, *Vatirgaz bitni*, Expauit venter meus. Septuaginta ſenſum attenderunt, quos etiam Græci Theophilactus & Theodoretus ſequuntur. ἐπτοήθη ἡ καρδία μου, Territum eſt cor meum. *Ad vocem contremuerunt labia mea*. Adeò totū ſe concuſſum eſſe monet, queādmodū iis accidit, qui ſubita

& violenta humorum depreſſione & ſtupore conſternuntur. Sicut & hac ſimilitudine Virgil.

Obriguere comæ, gelidúſque per ima cucurrit
Oſſa tremor.

Ita Daniel, cùm vidiſſet quatuor animalia, quibus quatuor imperia deſignabantur: ſed & in nubibus cœli quaſi filium hominis venientem, cui data ſit poteſtas & honor &
Cap. 7. regnum: Horruit, inquit, ſpiritus meus. Ego Daniel territus ſum in his, & viſiones ca-
Cap. 8. pitis mei conturbauerunt me. Et cùm ſequẽti capite, viſa pugna inter arietem & hircum, pugnam inter Perſam & Græcum attendiſſet, etiam ex ipſis Græcis naſciturum Antiochum qui templum deſolaret: Daniel interpretationem requirebat. Viſus eſt vir, dictus Gabriel, ſtetit iuxta me, & pauens, inquit, corrui in faciem meam. Et langui, & ægrotaui per dies. Verbum enim Domini conterens Petras.

Sed & quem non concutiat diuinæ vindictæ meditatio? Inimici fuerint Chaldæi, ſed tamen homines, & in quorum reprobatione humiliari debeamus, & agnoſcere gratiam Dei. Niſi enim Dominus adiuuiſſet me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea, inquit Dauid. Et Paulus: Viuo ego iã non ego. Ergo quoties iuſtus alterius reprobationem meditatur, tantò magis ſeipſum reſpiciens, timet: quòd in ſe nihil niſi quod timendum ſit agnoſcat, ſtare autem ſe non proprio, ſed Dei

beneficio. Hoc etiam Paulus in reprobatione Iudæorum conſiderandum monet. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cũ oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo. Fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè. Propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioqui & tu excideris. Timet ergo Propheta, & totus concutitur, ſeueritatem Dei in Chaldæos meditatus, ipſe populo ſuo timẽs, qui toties offendat, ne fortè tandem aliquãdo maiori pœnæ ſubiaceat. Nec enim dubiũ eſt, quòd & ipſe vt in Chriſti victoriam, ita & in populi ſui magnam illam cladem ferebatur, quæ contigit à Rom. & in illius reprobationem, donec Gentium plenitudo ſubintrauerit. *Rom. 11.*

Sed & quamuis Habacuk de Chaldæorum deiectione gauiſus, ſecundum vnam conſiderationem, prout fuit occaſio liberationis Iudæorum: tamen ſecundum aliquas conſiderationes expauit & doluit, nõ modò quòd ſuo populo peccaturo idem in poſterum timeat, ſed & ex amore naturæ, inimicis etiam compatiens. Nam ſi nec inimici iumentum *Dionyſ. in Hab.*

iacens ſub onere præterire, ſed ſubleuare debemus: quo non officio, iacentes etiam inimicos deplorare debeamus? Saulē defleuit Dauid, & eum occidit, qui caput ipſius attulerat. Idem factum eſt à Cæſare, conſpecto Pōpeij capite. Sed & ſcribit ad Periclem Antiſthenes, Alexandrum, cùm vidiſſet iacentem Darium, ex equo inſiluiſſe, & miſertum illū pallio operuiſſe. ἅτε δὴ φιλόσοφος ὢν, ἐδεδοίκει τὸ τῆς τύχης ὡς ἔοικεν ἄδηλον. Ita fit vt & Chaldæis & populo ſuo timēs totus horreat, in alterius populi calamitate, ſuorum etiam fratrum ingratorum calamitatem deplorans.

Attamen adhúc tanta ſpe liberationis ſuorum fertur in Deū, vt nihil ſibi euenturum timeat, modò liceat illā diē videre, qua tādem ſecura pace fruantur. *Ingrediatur*, inquit, *putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat: vt requieſcam in die tribulationis*, id eſt, tribulatio & infirmi-

Dionyſ. tas quantumcunque grauis me apprehendat, dummodò gratiæ tuæ ſubuentione ſuppoſita patientiam largiaris, donec *in die tribulationis* Chaldæorum per Perſas ceſſet captiuitatis populi mei preſſura, & in ſpe liberationis huius requieſcam: *vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum*, id eſt, Babylone deſtructa, de licentia Cyri Regis Perſarum pergam à Chaldæa in Iudæam, ſimul cum populo meo *accincto*, & quaſi ad prælium præparato, videlicet cum viris præclaris Eſdra, Neemia, Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedech, qui propter inſi-

dias hoſtium, erant ad prȩlium accincti, vt patet in Eſdra.

Quòd ſi quis obiiciat Habac. in captiuitate prȩdicta nõ fuiſſe, ſed in Iudȩa remanſiſſe: reſpondetur non in ſua, ſed Iudȩorum perſona, Prophetã hȩc eſſe locutum. Nam Septuag. ita vertunt, τȣ̃ ἀναβῆναί με ἐις ναὸν παροικίας μȣ, vt aſcendam ad templum peregrinationis meæ. Quòd ſi ita legitur, nõ λαὸν, populum, quod attendiſſe videtur Latina traductio, ſed ναὸν, templum: non dubiũ quòd hoc non tam de ſe, quã de ſuis intelligebat. Nã cùm incidiſſet ille tempore captiuitatis, quomodo tẽplum reſtauratum videre potuit? quòd ſi vidit, quæ in illo παροικία, qui ſemper in Iudȩa mãſit, niſi cùm Angelus illum ad lacum Leonũ trãſtulit, & ſtatim Iudȩȩ reddidit? Theod. & Theophilactus etiã annotant, illum è viuis exceſſiſſe, antequã hæc euenirent Chaldȩis, & multo magis antequàm Chriſtus veniſſet, & per Romanos magna illa clades Hebræis obtigiſſet.

Cæterùm vterque legit λαὸν, etſi etiam Theophilactus dicat in quibuſdam legi ναὸν, ita tamen vt certior lectio ſit illa, quam traductio noſtra ſequitur: pendet enim ex Heb. *Letſam*, ad populum. Sed magna à quibuſdam orta eſt difficultas ſenſus, quia ſtatim adiicit *Iegudenu*, *Excidet eum*. Nam de Iſraële reducto in libertatem, quomodo excidi dicetur? Sed id de Chaldæo populo dici poterit, ac ſi Vates tum ſibi requiem dandam

prædicet,cùm aſcenderit populus ſuus, & Deus exciderit Chaldæum. Aut melius dici
In Theſ. poteſt,vt doctè poſt Hieronymum Pagninus: *requieſcam in die tribulationis*, *aſcendendo*, id eſt, quando aſcendet hoſtis, *ad populum*, Chaldæum, *vt ſuccidat eum*. Nam ea quæ dicuntur de ficu, vite, aruis, pecudibus, bobus: ſatis teſtantur iram Dei in Chaldæos, quodq́ue ipſe illos excinderet. Idem etiam de Iudæis intelligetur,ſed poſt Chriſti paſſionem. Hanc autem Theod. & Theophilactus à
Theop. Propheta maximè attendi ſcribunt: Non video,inquit,quæ Iſraëlitis contingent. Tum enim quando inſtiterit dies affuturæ calamitatis,quæ eſt mihi dies tribulationis,*quieſcam*, hoc eſt,vltimum vitæ diem claudam. Mors enim homini eſt requies & ceſſatio. Et *aſcendam* in ſupernam vrbem, vbi eſt populus ſanctorum: vitam hanc παροικίαν, peregrinationem eſſe exiſtimans.Sic & Dauid ait: Ad-
Pſal.38. uena ego ſum apud te, ſicut omnes patres mei. Quod autem quædam exemplaria habent,*ad templum peregrinationis meæ*:tum ſic intelliges,aſcendam ad templum cœleſte,à peregrinatione mea hac.

1 Ex hoc loco primùm obſeruandum eſt, quãto quiſque deſiderio afflictionem populi ſui, & maximè religionis & cultus Dei lugere debeat.Nihil enim patria charius eſt, nihil enim ſanctis altaribus & diuino cultu cõmendabilius. Hinc factum,vt pro patria, pro aris, pro focis glorioſum occumbere cenſerent

rent ipſi etiam Gentiles. Et quidem Cic. lib. 1. De orat. Tanta, inquit, patriæ vis eſt & naturæ, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, ſapientiſſ. vir immortalitati (apud Circē) anteponat. Et Orat. pro Planco: Qui pro Republ. vitam reddiderunt, nunquam mehercule eos mortem potiùs, quàm immortalitatem aſſecutos putaui. Quòd nec cum mortis diſpendio, patriæ deeſſe debemus, quis nō ipſam afflictā, altaria exturbata, & religionē euerſam lugeat? Viæ Syon lugent, inquit Hieremias, eò quòd nullus ſit qui veniat ad ſolennitatem. Et alibi: *Cap. 9.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Quis dabit mihi in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? Quia omnes adulteri ſunt, & cœtus præuaricatorum. Et extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij, & non cognouerunt me, dicit Dominus. Nam ſi nec Chriſtus quā-tumuis manſuetus, continuit ſe, quin flagello facto vendentes & ementes è templo exturbaret, quo non zelo vti debeamus, ſi tot impietates, tot blaſphemias, tot ſcandala, & falſas doctrinas in Deum graſſari viderimus? Hoc lugebat Propheta, non in Chaldæis modò, ſed & in populo ſuo.

Sed & quanto deſiderio fertur in liberationem eius? Ita quātúuis perturbatus in cōminationibus Dei, ſpe tamē meliori releua- 2

tur: quòd non derelinquet Deus plebem ſuam. Pſal. Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Nõ ſemper, ſed per annos qua-
Geneſ. 15. dringentos afflictus eſt Iſraël in terra Ægypti. Hoc quidẽ præmonuit Dominus, & addidit: Veruntamen Gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Nõ ſemper etiam idem in deſerto peregrinus, ſed per quadraginta annos, tandem quietè terram promiſſionis adeptus eſt. Nec ſemper à Madianitis & Ammonitis oppreſſus eſt, ſed contra illos ſuo tempore, ſuſcitauit populo ſuo ſaluatores. Et quidẽ ſeptuaginta annis manſit captiuus in Babylone, ſed tãdem maiore cum gloria reductus eſt. Et regnauit peccatum ab Adam vſque ad Chriſtum, ſed regnat nũc gratia in iuſtitiam. Nam vbi venit plenitudo tẽporis, miſit Deus filium ſuum. Itaque ſi qua occurrit afflictio, ſperandum in eo, quòd poſt tempeſtatẽ tranquillum faciet. Hoc ſperat etiam in Iſraële Propheta, licet nunc ad tempus reiectus eſſe videatur: reliquit tamen ex eis ſemen, qui Baal genua non flectant, ſed Chriſtum amplectantur. Nam quot ſunt Chriſtiani, qui è Iudæis originem trahant, & omninò Iudaiſmum abiurarunt, adeò vt nec patres ſuos Iudæos fuiſſe fateantur? Cæterùm quæcunque fuerint reliquiæ, ſaluæ tandem erunt, & vni Chriſti ouili adiungentur.

Interim verò vnum hoc vnumquemque noſtrum & Prophetam conſolatur, quòd

breui moriturus ſit, ne videat calamitatem populi ſui. Nam qui communes miſerias, clades, ſchiſmata, & tot peccata conſiderat, & mala imminentia, etſi quidē carnē ſuā diligat & foueat, tamen horum meditatione vitæ illum tædet, maximè vbi zelo fertur in Deum. Hoc in Helya: Zelo zelatus ſum, &c. & rurſus, Accipe Domine animam meam.

Accedit ad votum hoc, meditatio ipſius 4
Prophetæ, quòd vita hæc, nihil aliud ſit quā 1
peregrinatio, quòd hinc in quietem, & tem- 2
plum Domini, & ad populum eius, ad electos transmigraturi ſimus.

ORATIO.

1 Vide igitur ô bone Deus, quòd ventus eſt vita noſtra, & fumus ad modicum parens. Quodque hîc ciuitatem permanentem non habemus, ſed futuram inquirimus, & quaſi exules ad patriam contendimus.

2 Siquis ſanè grauitatem iudicij tui futuri expendat, conturbabitur & tremet. Nam ſi iuſtus ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Conturbatus eſt venter noſter, & ad vocem contremuerunt labia noſtra.

3 Attamen cùm expendimus quanta ſit multitudo dulcedinis tuę, Domine, quam præpaſti diligentibus te: quis non ſub vmbra miſericordiæ tuæ confidat?

4 Et quidem ex alto cōſpicis, quātis afflictionibus à Barbaris & hæreticis vrgeamur.

Quis ſi præſentem rerum ſtatum intueatur, difficilem duxerit ex hac vita emigrationem? Nos igitur ſuſcipe, nos agnoſce, & interim dum corpus noſtrum in puluerem reuertitur, animas noſtras expurga, vt ſimul cum electis illis ſupernam Hieruſalem ingredi, & illius quiete perfrui poſſimus. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XXVII.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent fructum. Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.

VT quiſque naturaliter vitã ſuã amat, ita ea auerſatur quæ ipſi fuerint contraria. Quantum autem ſit huius vitæ amor, ipſa etiam bruta teſtantur, non modò cùm pro ſe quodque in aliud efferum aut armatur, aut fugam captat: ſed & cùm loca ſibi ſeligit ad cibum neceſſarium. Nam & oues paſcua vberrima, & feræ quæ carnibus veſcuntur, loca illa ſectantur, in quibus graſſari poſſint. Quin & ipſæ arundines per turmas ſuas ſimul cum æſtate ad nos accedunt, illa etiam excedente recedunt ad calidiores regiones. Idem etiã piſcibus, vt & volucribus erraticis ineſt. Sed etſi tu ſemel columbas, ſi

alias aues, aut etiã feras expuleris à loco aliquo, vix facilè ad illum regrediuntur. Tantus eſt amor vitæ, tantus timor periculi. Nec hoc tantũ brutis, ſed & hominibus commune fuiſſe, legimus ex hiſtoriis. Magnus eſt amor patriæ: ſed occurrens afflictio fecit, vt voluntariè ſeſe ſuoſque liberos perpetuo mulctarent exilio, & nouas ſedes requirerent. Nec vllos his Gẽtibus fortiores fuiſſe, aut proſperiore fortuna vſos eſſe legim⁹. Quis enim nõ ſuorum Principum nobilitatem ad Troianos referat, & ipſos quidẽ exules & patria profugos, quã dũ igne ferróque dirutã viderẽt, alij Albã, alij aliò reſediſſe, & ciuitates extruxiſſe, populóſque rexiſſe dicuntur? Et Franci quidem noſtri ad Sicambros originem referunt: quos quidem egreſſos ripas Rheni occupaſſe, & tandem ſuum imperium dilataſſe, ducibus Marcomiro, Sunnone & Genebaudo, ſcribit Aimoinus. Non alia profectò ratione, quàm quòd impoſitum à Romanis vectigal ferre nõ potuerũt: pręſertim cũ proſperè rẽ pro Valentiniano & Rom. cõtra Alanos geſſiſſent. Sed & vocantur liberi Rerumpub. fundatores ij, quos aut peſtis, aut bellum, aut fames, è natali ſolo expulit, vt nouas terras cõquirerent. Illi autẽ erectas vrbes ſibi vẽdicant, aut nouas condunt, his in locis quos aut vberiores, aut tutiores exiſtimãt. Et vtraque quidem ratio pro vita eſt, aut tuenda, aut fouenda. Inde factum eſt, vt alij in locis vberrimis, alij aut in celſis mõtibus, aut inter ipſos

Libr. de geſt. Fran. c. 3.

Matthæus Palmerius Flor. in Chronicis. maris fluctus ciuitates extruxerint. Venetia primũ habitari cœpit & extrui à populis huc illucque per Adriaticũ mare diſperſis, quòd incurſionem Barbarorũ ferre nõ poſſent, qui tunc declinante imperio, graſſabantur. Illi locũ hunc non tam ad vbertatẽ, quã ad ſecuritatẽ ſelegerunt, domibus vndique mari occluſis, & ad quas difficilis eſſet acceſſus. Nec abſimilẽ ſibi regionẽ Maſſilienſes ſelegerunt *Iuſt. hiſt.* Phocenſes è Græcis orti, cùm dominatum tyrannicũ minimè ferentes, à patria exules mare attentaſſent, & ſedem requirerent. Vbertatẽ Alexander conſiderauit in conſtruenda Alexandria, & Conſtantinus in Conſtantinopoli. Horũ plena ſunt omnia, annales, regiones, imperia. Iã ſi nihil nos mouet patria, alioquin omnibus tã dilecta, vbi peſtis, bellũ aut fames, aut quæuis grauiſſima calamitas ingruerit: quin ad vitæ, quæ nobis videtur eſſe dilectior, & ad poſterorũ conſeruationẽ, nos ab ea voluntario mulctemus exilio, & nouas ſedes generoſo animo conquiramus: quis non hanc huius ſeculi lachrymarũ vallem ſponte deſerat, vt aliò tranſmigret: cũ hîc non peſtis aliqua leuis, ſed quæ in animos graſſetur: nõ fames panis, ſed verbi Dei: non bellum aliquod cum extraneis, ſed cum noſtris, & nobiſcum, non quod corporibus modò, ſed & quod animis exitiũ minitetur? Hãc in ſuo populo miſeriã, hanc etiã in Chaldæis conſiderat. Ex quo fit, vt ſibi magnæ cõſolationi ducat, quòd non ſit viſurus & horum & illorum

cladem : ſed hinc ad patriam meliorem tranſmigraturus.

Confert nimirùm miſerias præſentes cum illa gloria qua ſe fruiturum ſperat. De miſeriis primùm agit. *Ficus non florebit*: de conſolatione autem, quam ſe habiturum, cùm hinc ad Deum perrexerit, adiicit. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Nunc igitur ipſa Dei flagella, ipſa etiam militiæ & bellorum incómmoda conſideremus, vt nemo ſit, qui non peccata, bella, & ſeditiones horreat, & qui non fateatur horrendũ eſſe incidere in manus Dei viuentis. *Etenim ficus non florebit*. Si bellum ſpectes, ex eo pendere videmus oppreſſionem agricolarum tantam, vt aut domos terráſque deſerant ſine ſemine & cultura, aut ſi paucis id permittitur, non tamen id tanto ocio, & fructu exequi poſſint, vt non magna annonæ penuria ſequatur. Nam aut deſunt illis equi, boues, ſerui: aut deſunt ſimi pecudum & equorum, quibus terram ſtercorare, & meliorem reddere poſſint. Licet enim terra primùm à Deo benedictione donata ſit, vt producat ſementem iuxta ſpeciem ſuam: illam tamen coli voluit. Quod in homine in ſtatu innocētiæ commendauit, cùm eum in Edem poſuit, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Iam quanto maiore labore opus eſt poſt maledictam terram, propter peccatum? Nec enim aureum illud ſeculum fingimus, quo Saturni tempore

- Omnis tulit omnia tellus,

Virg. in Eclog. & Heſiodus. *Nec raſtros patiatur humus, nec vinea falcem.*

Nunc ſcilicet illa ob oculos Domini ſententia eſt: In ſudore vultus tui veſceris pane. Itaque ſi deſit labor, ſi terræ cultura, ſi emẽdatio, quid ſubſecuturum eſt? Et hæc cùm bello tollantur, quomodo non ſumma neceſſitas conſequatur? Hoc quidem, vt ſcribit Xenophon, olim Callias, vir inter Thebanos claritate ac gloria excellens, hac alluſione docuit, vt Lacedæmonios ad pacem cum Thebanis conciliandam animaret. Nam vt fertur, inquit, Triptolemus progenitor noſter Cereris ac Proſerpinæ arcana ſacra, ex peregrinis Herculi duci veſtro, Caſtori quoque ac Polluci ciuibus veſtris primò oſtendit, ac Cereris frugem primò in Peloponeſſo ſeminandam tradidit. Quo igitur pacto æquum aut iuſtum eſſe poteſt, vos, à quibus olim ſemina accepiſtis, ad illorum fruges deuaſtandas pergere? Iam ſi deuaſtando bellum conſequitur, quid frugibus, quid arboribus reliquum eſt? *Non erit germen in vineis.* Inculta enim vitis quid proferet? Nam ex omnibus illa multo labore colitur. Alioquin, lambruſcæ ſunt quæ ex illa prodeunt. Plutarchus libro περὶ παίδων ἀγωγῆς, ait: φύσεως γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥᾳθυμία. Vitium doctrina corrigit. Solum bonum cultura ceſſante ſterileſcit, & quanto melius fuit naturâ, tanto neglectu fit deterius. Alia contrà tellus dura fuerit & aſpera, cul-

Lib. 6 Rerum Græc.

ta tamen præclaros fructus edit. Sed & quæ arbores non tortuoſæ fiunt atque infrugiferæ, ſi per incuriam habeantur? Quæ non frugiferæ fiunt atque fœcundæ, ſi rectè educantur? Aut quorum corporum robur nō hebeſcit, atque diſſipatur ſocordia, luxu, prauáque habitudine? Quis contrà non exercitationibus maxima fecerit ad robur incremēta? Qui verò equi à prima ætate rectè domiti non parent ſeſſoribus? Et quid attinet alia nos admirari, quando de beſtiis feriſſimis, multas videmus cicures manſuetáſque redditas? *Mentietur opus oliuæ.* Nam etſi illa veſtita foliis fuerit, & inde aſpicientibus copioſos fructus promittere videatur, idem tamen in illa apparebit, quod & in ea cui maledixit Dominus. Habebat enim illa folia, ſed omni fructu deſtituebatur. Vnde & Dominus, Vt quid, inquit, terram occupat? Ita præcipua recenſet, è quibus hominis vita ſuſtentatur, fructus, vineas, olîueta, fruges nimirùm intelligit, cùm adiicit, *Et arua non afferent cibum.* pro quo Septuaginta tranſtulerunt, καὶ τὰ πεδία οὐ ποιήσει βρῶσιν, Et campi non facient eſcam: quo ſterilitas magna deſignatur, & fames. Nam illa ex altera gignitur. Quid enim ſi arua deficiant? ſi deſint eſcæ? Ad arua hominis, immò omnium quæ terram habitant, nutrimentum refert. Vtuntur pecudes & paleis, & fœno, & granis: communia item illa ſunt bobus. Nec quidem domeſticæ, ceu in cibum aſſuetæ homini volucres ſaginari poſſunt, ſi hæc de-

ſint. Ita ex aruis eſt cibus, quia ex illis eſt, quibus non panis modò conficiatur, ſed & illa alantur, quæ in cibum hominis data ſunt. Nã licet initium vitæ hominis panis ſit & aqua: tandem tamen latius priuilegium conſecutus eſt. Ideò adijcit, *Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.* Hæ ſunt igitur illæ clades, quas Dominus præuaricatoribus minatur: bella, & fames. Horridum quidẽ bellum eſt, ſed & horribilior iſta vaſtatio, & ſterilitas quæ ex eo pendet, quæ tamdiu homines cruciat, quandiu eos vitæ tædet, & tãtarum miſeriarum. Nam gladium quis euadere poterit, ſi fugam ceperit, ſi loco aliquo remoto aut ſecreto delituerit? Ita Dauid toties euaſit furorem Saulis, modò demiſſus per feneſtram à Michol, modò ſpeluncis Ziphęorum abditus, modò apud Regem Geth fugiens: & Paulus per ſportam demiſſus è Damaſco, Regis Arethæ & præpoſiti Damaſci manus effugit. Athanaſius verò quoties Arianorum inſidias vitauit, & fuga, & latebris: adeò vt in exſiccata ciſterna per ſeptennium celatus fuerit? Quòd ſi adeò bellis vrgemur, vt euadendi nulla ſpes ſuperſit, ſaltem

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem;

& breui certamine tot miſerias effugere, ſumma mihi conſolatio eſt. At verò nec fames vitari fuga aut latebris poteſt: immò & illa tantò magis vrget & fugientes, & abditos, quantò ab hominum auxilio, à ſuis ipſi prouiſionibus, à ſuis domibus remoti ſunt. Et frequen-

tiùs ita ſugere aut latere coguntur, vt nec ſumptus ſecum aſſumere poſſint, quibus neceſſaria comparent, quouis precio. Iam ſi famis miſeriam contemplemur, quomodo non toties hominem occidat, quoties vellicatur ſuis ipſius prçcordiis. Has clades fugiebat Dauid, & peſtem malebat, licet ipſa ſit grauiſſima. Et tamen ex bello fames, ex vtroque tandem peſtis conſequitur. Adde quòd Deus ipſe hominum ſceleribus prouocatus, vbi ad illorum emendationem bella nihil profeciſſe videt, adiicit & famem & peſtem. Ait enim: Caſtigabo in virga iniquitates eorum. *Leuit. 26.* Et alibi; Sin autem nec per hæc audieritis me, ſed ambulaueritis contra me: & ego incedã aduerſum vos, in furore contrario, & corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra: ita vt comedatis carnes filiorum veſtrorũ & filiarum veſtrarũ. Hoc quidem adinſtar medici, qui vbi leuiora pharmaca profeciſſe minimè videt, acriora adijcit, donec deſperatũ omninò relinquat. Hæc quidem nõ modò Chaldæis cõtigerunt, occupata à Perſis eorũ regione, ſed & Iudæis. Quot bella eos mãſerũt ſub Iudicibus & Regibus? Quoties fames eos inuaſit? Nũ & duç mulieres in Samaria de comedẽdis filiis pactionẽ inierũt? Nũ & Maria filia Eleazari idẽ in filiũ attẽtare auſa eſt, cũ à Tito Romanorũ Imperatore Hieroſolyma obſideretur? *Ioſeph. l. 6. Belli Iud. cap. 11.* Quid quòd Numantia à Scipione obſeſſa, ciues Romanos vt venaticas feras perſequebãtur, & illorũ carnib' ſe ſaginabãt? Ro-

mani verò per Totilã cõcluſi, muribus viuere coacti ſunt? Cæterũ corruptis corporibus ceu eſurie & fame, ceu cõtinuis excubiis, ſequitur aëris corruptio & peſtis. Quòd ſi ex illa corporali miſeria ad ſpiritualẽ conuolemus, quæ à Propheta præuidetur: non quidẽ abs re, ille ex hac vita migrare deſiderauit, & interim dum oſſa ſua putredo ingreditur, ad populũ accinctum, ad milites illos victorioſiſſimos & beatos peruenire concupiuit. Quis enim ô bone Deus, rerum ſtatus eſt? Quid ſuperueniẽti vitæ deſiderio reliquum eſſe videt? Declarat enim ſub typo rerum temporalium, ſpiritualem Eccleſiæ calamitatem. *Etenim ficus non florebit.* Nam & illi, quos in agrum ſuũ, in ſuam Eccleſiam, cœleſtis ille agricola tranſplãtauit, nec fructum pœnitentiæ, neq; fructum ſpiritus afferent: adeò deprauata erunt omnia. Nam omnis arbor bona fructus bonos facit: quid ſi nec aliquos fructus ferat, immò nec flores? Folia quidẽ habuit illa quæ à Chriſto maledicta eſt: quid conſequatur illos, qui nec ſpeciem fidelium, ſæuiente perſecutione retinent? *Non erit germẽ in vineis.* Atqui vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt, & dom' Iuda plantula dilecta. Vineas autem in plurali dicit, vt particulares quaſdam Eccleſias deſignet, quæ tamẽ nomine magnæ illius vineæ intelligantur. Germen autem primum apparet. Nõ dicit minimè futurum botrum, granum, ſed germen: vt omnem ſpem quaſi reſciſſam eſſe doceat. Expectaui vt face

Theodo. & Theoph.

ret iudicium,& ecce clamor, dicit Dominus.

Mentietur opus oliuæ. Oliuam ſterilem ſiquis Phariſæos & Saducæos dixerit, non errabit, inquiunt Theodoretus & Theophilactus. Illi enim iuſtitiæ quidem nomine conſpicui & graues videri volebant: interim tamen eiuſdem fructibus vacabant, & nudi ab ipſis erant. Quòd verò olea pro imagine iuſti ſumatur, ipſe Dauid teſtatur, dicens: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum. Quin & oliuæ comparantur viri miſericordes, quòd fructus oliuę dolores & vlcera leniat, & multũ faciat ad medicamẽta. Mentitur autem opus illorũ, ſi non ex charitate, ſed vanitate eleemoſynã adminiſtrent. Excidet enim charitas, inquit Chriſtus. Hac autem ſepoſita, quid prodeſt ſi in cibos pauperum omnia noſtra diſtribuerimus? Facti ſumus velut æs ſonans, aut cymbalũ tinniens, vt ipſe Paulus reſoluit. Ideò Chriſtus, Cùm facis, inquit, eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Vel mentietur opus oliuæ, cùm ij qui alijs miſerentur & ſuccurrunt, propriarum tamen animarum curam & ſalutem negligunt: immò in dies ipſas nouis peccatis onerant, & maioribus cruciatibus præparant. Ideò Eccl. dicitur: Miſerere animæ tuæ placere Deo. Alioquin vt Chriſtus monet, Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur: animę verò ſuæ detrimẽtum patiatur? Aut quam dabit homo commu-

Pſalm. 51.

Dionyſ. Carth.

tationem pro anima ſua? Charitas ergo & pietas à ſeipſis incipiant, & ſic deriuetur in alios. Summa iſthæc miſeria præuidetur à Propheta, Synagoga nimirùm ſterilis, aut ſi quis eſt qui fructus aliquos edere videatur, ipſe tamē ſibi & charitati mentiatur.

Arua non afferent fructum. Area quidem Eccleſia eſt: ſed ager eſt hic mundus, vt in Zizaniorum parabola Chriſtus interpretatus eſt. Fructum ille afferebat, cùm è Samaria tot ad Chriſtum confluerent, audito mulieris teſtimonio. Ideò Chriſtus hac ſimilitudine diſcipulorum animos eleuabat: Leuate capita veſtra, & videte quia regiones iam albæ ſunt ad meſſem. Ita ſit enim, vt nonnulli quotidie ex hoc ſeculo, quaſi è naufragio ad portum Eccleſiæ confugiant. Emergit etiam aliquis fructus inter tot ſpineta. Sic emerſit Paulus & Apoſtoli cæteri è Iudæis, & prodierunt permulti ex Gentibus: & nunc ſunt etiam permulta regna, longè etiā remota, quæ ad Dei, & ſui agnitionem veniant. At verò vbi magna illa clades & vltima perſecutio Eccleſiæ ingruerit, quis ad Eccleſiæ gremium confugiet? quis ad fidem conuertetur? Immò niſi breuiarentur dies illi, non ſalua fieret omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur, ne & illi, ſicut ſtellæ, de cœlo cadant.

Abſcindetur de ouili pecus. Ouile Eccleſia eſt, de qua pecus abſcinditur, quando per negligentiam propriam, vel paſtoris ſubditus peccat, atque velut mortuum membrum abſciſ-

ſum igni æterno traditur. Sic enim abſcindēdos oſtendit Chriſtus illos, qui miſericordię opera neglexerint, ſicut oues ab hœdis ſegregantur. Sed &, vt ſcribit Theophilactus poſt Theodoretũ, pecudum nomine ſimpliciores & minus aſtuti intelligũtur, digni quidem, vt à plura intelligentibus regantur. Abſcindentur autem, & deficient, vbi etiam nec ad paſcua ducentur, nec etiam quo viuant, aliquid porrigetur. Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non erat paſtor. Quòd ſi quis obiiciat, non defuturos qui reditus paſtorum, qui etiam nomina vſurpent: reſpondet Propheta, nō proindè lautius quid gregi cõtingere. Nōne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſũ erat occidebatis: gregem autem meũ non paſcebatis. Quod infirmũ fuit, nō conſolidaſtis, & quod ægrotũ non ſanaſtis, quod confractũ eſt nō alligaſtis, & quod perierat nō quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cũ potētia. Et diſperſæ ſunt oues meę, & factæ ſunt in deuorationem omniũ beſtiarum agri. Hinc enim fit, vt permulti ab Eccleſia recedant, & hinc cadant in varias ſectas & dogmata, quorum non minus eſt periculum, quàm ſi in deuorationem beſtiarum deuenirent. Inde eſt, quòd ſi quis & ouilis ſecuritatem, & pecudum reductionem, reductarum cuſtodiam deſiderat, id eſt errãtis & labantis populi conuerſionem, & Eccleſiæ pacē: neceſſariũ ducat prouidere viros probos & boni teſtimonij, *Ezech. 34.*

qui huic officio incumbant. Addit Propheta huius deſolationis argumentum non abſimile. *Non erit armentum in præſepibus.* Ita famem generalem deſignat, qualis apud Amos legitur. Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & immittam famem ſuper terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini. Ita cõtinget, vt ſcribit Dionyſius, multitudini credentium paſcua negari. Cur enim armentum in præſepibus, niſi vt iis quæ appoſita ſunt, veſcatur? Negabuntur enim ſpiritualia alimenta, & Eccleſiæ ſacramẽta fidelibus. Paruuli petierũt olim panem, cũ in Babylonicã captiuitatẽ abduceretur populus: & nõ erat qui frangeret eis. Sed & quis tãta Eccleſiæ calamitate aut verus paſtor erit, aut ſi quis ſit, ſacramenta Chriſti adminiſtrare audeat? Theophilactus ad mentem Theodoreti, Boues, inquit, ſunt legis doctores, leuitæ, ſacerdotes. Nam & Apoſtolus illud, Nõ alligabis os boui trituranti, ad Doctores retulit. Beaux. Ergo & illis victus negabitur, nec erit qui domo excipiat. Erunt enim omnes viri bellorum & ſeditionum, non pacis. In quorũ domos diuertere Chriſtus prohibuit. Impendent illi feris & agreſtibus belluis, quod bobus debetur. Et plus neſcio quibus mimis deferent, quàm Euãgelij prçconibus. Num verò illorum præſepia deſerenda Chriſtus monuit, cùm dixit: Excutite puluerem pedum veſtrorum, in teſtimonium contra illos? Nullum erit ergo prçſepe bobus: erit vul-

Amos.8.

pibus,

pibus,tigribus,lupis & cæteris hominum generi inſenſis animantibus. Erit adulatoribus, ſeditioſis, pſeudoapoſtolis. Traducit etiam Theodoretus ad magnam illam altarium deſolationem. Boues, inquit ſacerdotes dicit, quorum altaria olim percelebria, deſerta remanſerunt. Eſt enim altare homini, quod præſepe bruto. Nec eſt quòd quis hanc ſimilitudinem dedignetur,cùm in præſepi Chriſtus reclinatus ſit, qui tamen offertur in altari. Et tamen ad præſepe bruta veniunt, ad altare verò progredimur, vt cibum capiamus. Hinc & illud Pauli: Qui altario deſeruiunt, participes ſunt altaris. Et Dauid altare menſam vocat,etiam & Salomon. Dauid quidem: Paraſti in conſpectu meo menſam. Quæ mēſa,niſi in qua tibi porrigitur corpus Chriſti? Salomon verò inducit ipſam ſapientiam patris,quæ ædificarit ſibi domum,exciderit columnas ſeptem, parauerit menſam, poſuerit panem, & miſcuerit vinum ſuum, & vocarit omnes: Venite,inquit,comedite panem meū, & bibite vinum quod miſcui vobis. Quæ verò illa menſa eſt,niſi altare? Quæ domus, niſi Eccleſia? columnę,niſi ſeptem dona ſpiritus? panis,niſi Chriſti corpus, & calix mixtus, niſi ſanguis quem de eius menſa ſùmimus? Atqui magnam illam Eccleſię cladem deplorabat Habacuk,qua nec armenta ad præſepe, id eſt altare admitterētur. Scribit Chryſoſtomus, id vltima perſecutione euenturum, vt non ſit qui Eccleſiam intret, aut oblationem

offerat Deo. Hoc quidē iuxta Danielis Prophetiam, Deficiet iuge ſacrificiū, inquit. Hoc autem quid aliud, quàm Chriſti incruenta illa oblatio, quam ille à nobis fieri mandauit, donec veniat?

ORATIO.

1 SVmma mala adferunt ſeditiones, bella, fames & peſtes, ô bone: ſed quid nō perniciosius inferunt illa quæ pietatem & religionē euertūt? Quā pernicioſiora ſunt ſchiſmata, & hæreſes, quæ nos à Deo diuidunt? Quàm peior eſt fames verbi Dei, & peſtis impiorum dogmatum, illis malis quæ in corpus ſæuiunt: cū ex his aīarum ruina cōſequatur?

2. Nunc igitur quid ſperandum erit niſi à te? Vbi boues in præſepibus? vbi Prælatorum electio, & officium? vbi altaris reuerentia? vbi cultus religionis, cùm iam peſſum ierint omnia?

3. O ſi iam ad te reuerteremur, & incruentum illud ſacrificium debita adoratione perſequamur! Non eſt abbreuiata manus tua, vt ſaluare non poſſis, & gregem tuum, & armēta ad paſcua reducere.

4. Verùm tanta eſt cordis quorundam duricies, vt malint ſe inuicem mordere, & Rempublicam perturbare, quàm ſe tibi ſubmittere. Illos ergo turbulentos humilia, illorum conatus auerte, & da pacem Eccleſiæ tuæ in diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. Per Chriſtum, &c. Amen.

HOMELIA XXVIII.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea. Et ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me. Victor in pſalmis canentem.

EA conditione nati ſumus, vt alij ex aliis diſcamus, & ſapientiores efficiamur. Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Sed & optimum eſt ex aliis ſumere exemplum ſibi. Ita fit, vt ſi cauſas perpendamus illarum miſeriarũ, quę aliis contigerint, illas vitemus, & cautiores efficiamur. Quod & in publicis & priuatis officiis locum habet. Eapropter enim hiſtoria, ſpeculum vitæ definitur. Periit Roma ſeditionibus & bellis ciuilibus: illa igitur cauenda docemur. Hîc quid ſeligẽdum, quid fugiendum ſit, habemus. Succurrit autem illis, qui ſtatus publici mutationem, immò & euerſionem proſpiciunt, vt cùm cauerint, & ſe in tuto collocarint, iis ſimiles fiant, qui ex alto ſcopulo naufragos deſpiciunt, cùm tamẽ ipſi ab omni ventorum & fluctuum impetu ſecuri ſint. Vident alios ſubmergi, alios in diſpẽdio verſari, alios adhuc firmos tabulę inhęrere, & ad portũ accedere. Sic rerũ omniũ ſtatus cõſiderãt, à quorum periculis lõgè ſemoti

ſunt. Hæc quidem magna miſeria eſt, ſi charitatem illam attendamus, qua fratribus cõpati debem⁹. Quis enim infirmatur, & ego nõ infirmor, inquit Apoſtolus? Sed ſumma tamẽ eſt fœlicitas, & in Deum gratiarum actio, vt qui nos ab his tempeſtatibus eruerit. Hoc ipſe ſibi conferri beneficium agnoſcit Habacuk. Nam cùm deploraſſet & ſuæ Gentis, & Chaldæorum vaſtationem, tandẽ quaſi è graui ſomno euigilãs, Deo gratias agit, quòd ipſum ex his miſerijs eripuerit. *Ego autẽ*, inquit, *in Domino gaudebo.* Etſi enim contriſtatus ſum propter cognatos meos ſecundum carnem, talibus ac tantis malis tentandos: attamen reputans ego mecum gloriam Dei, omnibus hominibus manifeſtãdam, lætor & exulto, hoc eſt, exilio præ gaudio. ἀγαλλιᾶν enim idem eſt quod σκιρτᾶν, ſaltare, quod eſt gaudij quædam intenſio. Cæterùm non modò Dei gloria manifeſtatur, ſi quando vindictam in impios exerceat, quales erant Chaldæi: ſed & ſi ſuos fideles ob commiſſa peccata puniat ad emendationem, aut ad probationem, tandem velut igne probatos puriores

Theod & Theop.

1. reddat. Hinc & ipſe permiſit indurari Pharaonem, & eouſque malitiam eius procedere, vt iuſtitia in illi⁹ exterminio probaretur. In hoc ipſum, ait, excitaui te, vt oſtenderẽ in te glo-
2. riam meam. Glorificatur etiam, quoties caſtigamur, & emendamur, & qui exhibuimus membra noſtra ſeruire impudicitiæ, ad iniquitatem, eadem iuſtitiæ in ſanctificationem

deuouemus. Glorificatur quoque in proba- 3.
tione iuſtorũ, quum illi adinſtar Iob non maledicunt, ſed ſumma patiẽtia Dei nomini benedicũt. Dominus dedit, Dominus abſtulit, inquit Iob, ſit nomen Domini benedictũ. In omnibus enim illis quæ patiebatur, non peccauit Iob labiis ſuis. Dura quidẽ eſt perſecutio, durũ flagellari, conſpui, laniari, mori: ſi tamen hæc in Dei gloriam contẽdant, quomodo non leuia, & læta potiùs videantur? Agabus Cæſareæ, apud Philippũ Paulum reuocare videbatur, circumacta illi zona, dicens: Virũ, cuius eſt zona hæc, ſic alligabũt in Hieruſalem, & tradent in manus Gentiũ. Hoc cùm Lucas, cum cęteris etiam huius loci fidelibus, fletibus rogabat Paulũ, ne aſcenderet Hieroſolymã. Adeò illis ligari, & trahi durũ videbatur. Quid autem ille? Quid inquit, facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego non ſolũ alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Ieſu. Hanc Dei gloriam ſpirabant primi illi Martyres, cùm vltrò ſeſe variis tormentis cruciandos offerrent: ad mortem velut ad nuptias procedentes, vt Chriſto agno, ſponſo ſuo ſociarentur. Hac & conſtantia, & in Deum fiducia, Laurentius cùm in craticula ſuperpoſitus vreretur, ad impiiſſimum Decium tyrãnum dixit: Verſa, & manduca. Vincentius etiam lecto ferreo, ſuppoſitis carbonibus ardentibus, & aſperſo & crepitante ſale imponendus erat. At ille, vt canit Prudentius,

Act. 21. *Ambroſ lib. Offic.*

Hunc ſponte conſcendit rogum,
Ceu iam coronæ conſcius
Celſum tribunal ſcanderet.

Quin & ſub Galerio, mota contra Chriſtianos, qui tum Romæ congregati erant in loco ſacro, perſecutione, Romanus nôbilis plebẽ ſiſtere & monere cœpit, ne à fide exciderent. Tum vna mens omnibus,

Fidem tueri, vel libenter emori.

Cúmque Romanus pręceps, vt incitator omnium, ad ſubſellia raperetur,

Amor coronæ penè præuenit trucem
Lictoris artem, ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis exarandas vngulis.

Hanc igitur Dei gloriam attendens Propheta, non modò ex his afflictionibus quas præuidet, reſpirat: ſed & in eo exultat, vt qui populi ſui tandem miſerturus, & omnes quantumuis furioſos aduerſarios ſuos deuicturus ſit. Fertur enim ille in ſpem illius victoriæ, quam Chriſtus ſibi, & Eccleſiæ tandem ſuæ peperit: cuius typus præhabitus eſt in reductione populi è Babylonica illa captiuitate. Nam ceu ille ſtatum ſuum poſt vitam hanc proſpiciat, quem breui ſucceſſurũ deſideret: omnia quidem tunc conſolationis & gaudij, vt & in præſenti miſeriarum plena ſunt omnia, conſiderat. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hoc ergo idem ac ſi dicat: Etſi ego cum populo meo hîc multis

2.Cor.4.d.

ventiler afflictionibus,& maiores præuideam tum Chaldæos,tum plebem meam manſuras eſſe calamitates:attamen hinc demigrans ad patres illos noſtros Abraham, Iſaac & Iacob, & in locum refectionis deueniam: & ſecurus gaudebo,& *exultabo in Deo Ieſu meo*,recogitans nimirùm magnam illam Meſſyæ Dei veri,& Ieſu,id eſt,ſaluatoris victoriam,quam de peccato,mundo & inferno reportaturus eſt.Nec enim obiter prætereũdum eſt nomen Ieſu & Dei ſimul connexum, *Be Elohei Iſei.* Et quod ad emphaſim ait,*meo & meo*,nimirùm in Deo meo &Ieſu meo: vt eo ſummam eius dilectionem & curam,ſuam verò in illum ſecuriſſimam fiduciam deſignet.Vbi & nomen Ieſu à *Iaſſa*, quod ſaluare eſt, deduxit. Septuaginta ſignificationem nominis Ieſu ſic traduxerũt, ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου, ſuper Deo ſaluatore meo.Hebraicum enim nomen eſt Ieſus,quod σωτῆρα Græcis, nobis ſaluatorem ſignificat. Etſi verò nonnulli hoc adCyrum retulerint, qui populum liberum in Iudæam remiſerit, *Dionyſ.* & typũ prætulerit Chriſti:magis tamen propriè de ipſo noſtro Meſſya intelligendũ monet dictio *Elohei.* Hic ſcilicet vt Ieſus eſt,&id nomen habuit in circunciſione impoſitum, quo non modò eius beneficia, ſed & humanæ naturæ veritas demonſtratur:ita & verus Deus eſt.Nec abſimilis eſt huic verſus iſte Cãtici virginis matris,Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Sic rapiebatur Propheta,& ſecuritatem ſibi promittebat in Meſſya

venturo. Nam quantumuis afflicti & deiecti ſimus, quid eſt quod timeamus, cùm videam' Chriſtum pro nobis pugnantẽ, & noſtrę cauſæ patrocinium accipientem? Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt & reſurrexit, qui etiam interpellat pro nobis? Deſperata videantur omnia, ſi conſcientiam noſtram, ſi res priuatas & publicas ſpectemus: ſupereſt tamen quod non modò ſperemus, ſed in quo gaudeamus & exultem' Chriſtus Ieſus. Adijcit enim. *Deus Dominus fortitudo mea*. Quaſi dicat: Non ego confido in manu mea, aut quorumuis hominũ. Maledictus enim qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Erit quaſi myricæ in deſerto. Non ego in Principibus ſpero, in quibus non eſt ſalus. Errauerunt enim omnes ab vtero, & à minimo ad maximum nulla eſt ſanitas. Ideò nimirùm ſuperuenerunt nobis mala, vt ſcribit & confeſſus eſt Daniel. Nobis, inquit, confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & patrib' noſtris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te. Itaque ille nobis nutantibus fortitudo ſupereſt. Sit ſpiritus promptus, caro autem infirma: omnia tamen poſſum in eo qui me confortat, qui eſt Chriſtus Ieſus. Hic eſt *Dominus Deus, & fortitudo noſtra*. Thomas enim exclamat, Dominus meus & Deus meus. & Paulus: Prædicamus Chri-
1.Cor.1. ſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum,

Gétibus autem ignominiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Gręcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Hic enim eſt & Petra, & fundamentum noſtrum, cui nos inniti, in quo etiam noſtra omnia ſuperſtruere neceſſe eſt. *Ille fortitudo noſtra*: cui & Dauid. Benedicam te Domine fortitudo mea, refugiũ meum, & liberator meus. Non enim in fortitudine ſua roborabitur vir: ſed tuum eſt regnum, tua potentia. Tu es ſuper omnes gentes. Fortitudo eſt, non formalis, ſed effectiua, *Dionyſ.* & totius roboris noſtri cauſa præcipua.

Et ponet pedes meos quaſi ceruorum. Hebraiſmus eſt, quo ſuum, id eſt populi ſui ad patriam reditum nihil remorari poſſe deſignat. Ita enim feruntur ſua velocitate cerui, vt & canes, & venatores, & quaſuis feras prætergrediantur. Tanta eſt ceruis pernicitas, vt nec velociſſimi canes eos aſſequãtur. Iam ex hac ſimilitudine ad noſtram miſeriã delabamur. Quot canibus, quot venatoribus obſidemur? Quæ nõ retinacula parãtur? Sed quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ita fit vt pedibus, id eſt, illis animæ potentiis confirmatis, quæ adinſtar pedum terram attingunt, & animalem hominem ſpectant, facilè quaſuis inſidias euitemus, & tandem in cœleſtium bonorum meditationem tranſuolemus. Ideò adiicit, *Super excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem*. Fuerint

Prophetæ, ceu Iudaico populo excelſa, illa Iudææ regio montoſa & aſpera: Fuerit victor aut Cyrus, aut Zorobabel Princeps, qui populum illũ reduceret: nobis, in quos Prophetæ ſpiritus ferebatur, excelſa ſunt Eccleſiæ tum militantis, tum triumphantis myſteria: victor autem, qui quemque noſtrum deducit, Chriſtus eſt, quo etiam duce pſalmos gratiarum actionis decantamus. Et quidem mihi videtur Propheta ferri in celebrẽ illum triumphum, quo cum cæteris electis patribus à Chriſto victore deductus eſt: quãdo ille deduxit captiuitatem captiuam aſcendens in cœlum. Nam etſi obligatione Adami pedes illorum retineri viderentur, ne in gloriam, ceu excelſa Dei conſcenderent: vbi tamen Chriſtus victor, primogenitus mortuorũ, & princeps mortis & inferni, morte ſua mortem deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit: pedes illi ſoluti ſunt, & tanta illis libertas collata, vt nec tanta pernicitate cerui in excelſas rupes, quanta illi in ſublimia cœlorum ſcandere potuerint. Hic enim eſt qui vicit, leo de tribu Iuda. Septuag. ita vertunt: Et ſuper excelſa ingredi me faciet, *τοῦ νικῆσαί με ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ*, vt vincã in cantico eius. Et Hebr. veritas ita habet: Et ſuper excelſa mea calcare me faciet, *Lamnatſeha beneginothai*. quod alij vertũt, Victori in pſalmis: alij, Præfecto cãtorum: alij in accuſatiuo reddunt, Triumphantem in muſicis inſtrumentis. Eandem autem dictionem *Neginoth* vſurpat, quam in

titulo Cantici. Adeò ſe veracem, nec vanum futurum eſſe pronunciat, qui tot etiam cladibus & calamitatibus præuiſis, ſpem ſuam in Deo collocarit. Sic enim & qui ſecum pugnare videbatur, quaſi in deſperationem omnia redacta eſſent, ſeipſum vicit, cùm Deum fortitudinem ſuam agnouit.

ORATIO.

1. ITaque non ſine cauſa ad te toties clamamus, vt qui omnia à te pendere profiteamur. Tu ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiit. Tu clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſraël. Tu ſol iuſtitiæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

2. Quid tam triſte eſt, quod non te irradiante exultet? Quid tam graue, quod non te ducẽte, adinſtar ceruorum velociſſimũ reddatur?

3. Deus Dominus fortitudo mea. Nullam enim aliam niſi in te habebo virtutem, cætera omnia inter quiſquilias computabo.

4. Tibi ineſt velle, tibi poſſe. Perfice igitur pedes noſtros adinſtar ceruorum, erige noſtros affectus in te. Viciſti mortem, infernum, mundum: vince nunc ea omnia quæ nomini tuo aduerſantur. Et deduc Eccleſiam tuam in pſalmis canentem, vt te è tot hoſtibus victorem agnoſcat & celebret. Amen.

FINIS.

INDEX LOCVPLETISSIMVS

RERVM ET VERBORVM QVÆ IN hoc libro continentur, ſecundum ordinem Alphabeticum.

A

AAron & Hur ſuſtentabant manus Moſiſ pugnãtibus Iſraëlitis. fol. 53
Ad Abel & eius munera aſpexit Deus. 45.
Abel Martyr. 57
Abelis ſanguis clamat de terra. 78
Abraham & Prophetæ Dei miſericordiam implorarunt. 89
In ſinu Abrahæ Epulo vidit Lazarum. 127
Abyſſus ingemuit atrio Principis tenebrarum ſpoliato. 132.
Abyſſus extulit vocem Chriſto ad inferos deſcendente. 137
Abſconditum quid. 153
Achab comminationum Dei contemptor. 61
Achab ſæuiens in Naboth pro vinea, vorator plebis erat in abſcondito. 153
Accuſatio contra templorum deſtructores. 78
Achilles quomodo dictus eſt domi ſtetiſſe. 137
Adam vt peccati ſui confuſionem notarit. 92
Adã cur conſtitutus è regione Paradiſi. 127
Adam genuit Seth ad imaginem ſuam. 147
Adriani decretum in gratiã Chriſtianorum. 130
Adrianus templum Chriſto conſtruere voluit. ibidem
Adrianus publicis pecuniis ditatos omnia iußit refundere. 154
Adonizebec caſtigata inſolentia. 32. & 33
Adulatores hyrundinibus ſimiles. 68
Adulatorum deſcriptio. ibid.
Aegyptius populus horret potum ex flumine. 116

Ægyptiacæ ac Babylonicæ captiuitatis comparatio. f. 100
Aimoini de ſtatu Gallorum teſtimonium. 18
Aleatorum & Luſorum exitus. 74
Alexander fortunæ inconſtātiam formidabat. 67
Alexandri ambitio & auaritia. 66
Alexandri apophthegma. 94
Alexander ſe Soli comparabat. 135
Alexandri irati vultus igneus. 139
Alexandri halitus ſpirabat balſamum. 139
Alexandri duo amici Craterus & Hephæſtion. 153
Alexandri pietas in Darium mortuum. 159
Alexander Alexādriæ fundator. 163
Alexander Seuerus Chriſtianorum mores & doctrinam miratus eſt. 131
Alluſio Prophetæ ad hiſt. maris rubri. 115
Alluſio Pauli ad dolorem parturientis. 129
Alluſio ad nomen Ieſu. 144
Ambroſius quandiu Gentilis fuit mons. 130
Aman ſuſpenſus cum filiis Dei gloriam auxit. 80
Amaritudo pro moleſtia. 23
Amici Regum teſſeris ſimiles. 154.
Anabaptiſtæ ſcripturam & traditionem auerſantur. 58.
Angelus pugnat contra Sennacherib & Syrios. 125
Angelus viſibiliter apparuit Habacuk. 93
Angelus à Deo deſtinatus dux viæ cuidam Gaſpari. 117
Angeli dicuntur currus Dei. 125.
Annibal potuit Roma potiri, & quando. 147
Ager hic mundus. 167
Anchora noſtræ ſalutis in Deum conicienda. 115
Anima quantumuis ſancta ad Deum comparata, currus eſt Pharaonis, & iumentum. 120
Animantia puſilla Dei flagella. 71
Animalia duo variè exponuntur. 97
Antiochus à vermibus corroſus. 71

Antonini exercitus precibus Chriſtianorum conſeruatus, hoſtilis verò profligatus. 135
Antichriſtus quomodo conſtituitur caput à Sathana. 150
Ananias timebat venire ad Paulum. 155
Animalia auerſamur quæ ſemper obſunt. 151
Anthropophagos Chriſto lucrari fuit difficile. 155
Apoſtoli fuerunt Sagittæ. 138
Apoſtoli inermes & idiotæ adiutore Deo vicerunt armatos & doctos. 137
Apoſtoli fuerunt Galilæi. 141
Apoſtoli terrore iudicij inducebant ad pœnitentiam, non ad deſperationem. 142
Apoſtoli & concionatores Chirurgis ſimiles. ibid.
Apollo pharetratus depingitur, & cur. 136.
Apoſtoli fuerunt equi Domini. 120.
Aquarum metaphora quid ſignificetur. 80
Aquis numeroſa proles ſignificatur. 116
Aquis quandoque impij intelliguntur. 117
Aquas itineris Deus diſperget. 131
Aquilarum voracitas. 29
Aquilarũ mira pernicitas. 28
Aquila Iudæus Bibliorum interpres. 145
Arca Domini ſtetit in Galgal. 109.
Arca apud Chriſtianos ſacra Euchariſtia. ibid.
Arbogaſtus & Eugenius victi à Theodoſio. 136
Arbores quæ ſenſim eminent, durabiliores ſũt cæteris. 64
Arcus pro vindicta. 121
Arcus Chriſti ſancta Scriptura. 126.
Ardaburij filius habuit angelum ducem. 117
Ardet palea vt aurum purgetur, ſic ſæuit impius vt iuſtus probetur. 123
Arenæ captiuitas quid. 31
Area eſt Eccleſia. 167
Arianorum dogma ſectantes Galli grauiter fuere vexati. 18
Ariani & omnes hæretici temerè arma ſumpſerunt. 30
Araneis & piſcibus raptores ſimiles. 152
Armorũ vis tribus cõſtat. 148
Ariſtotelis de homine ſẽtẽtia. 35

Arma Chriſti qualia. 138
Aruorum fertilitas quantum neceſſaria. 165
Aſtiages nepotem Cyrum iubet exponi. 134
Aſtra quandoque ſtatuum mutationes præſagiunt. 118
Aſſuerus & Cyrus Deum Iſraelis confeſſi ſunt. 80
Aſſyriorum Imperium ruit ceſſante iuſtitia. 20
Aſſyriorum & Chaldæorum rapacitas, aquilarum voracitati ſimillima. 29
Aſpidem cur nemo nutrit. 151
Athenienſes nolebant iuniores quærere de lege lata cur ſic eſſet poſita 17
Athalia percuſſit omne ſemen Regium. 111
Attila flagellum furoris Dei. 23.
Auaritia ſuperbiæ comes. 66
Auaritiæ effectus. 67
Auguſtinus mons quandiu Gentilis. 130
Auguſtini ratio cur Deus vtatur peccatoribus ad correctionem ſuorum. 123
Aulus Vitellius Galbam occidit vt imperaret. 146
Aulus Vitellius largitionibus exercitum corrupit, à quo Imperator ſalutatus, tandem occiſus & in Tyberim protractus. 146

B

BAali non omnes genua flexerunt. f.161
Babyloniorũ horti penſiles. 30
Babylonij ſpoliati à Perſis & Medis. 72
Babyloniis deſtructis Dei gloria maior eluxit. 80
Babylonicæ captiuitatis & Ægypt. comparatio. 100
Babylon fundamentum imperij Aſſyriorum. 148
Balthaſar dupliti modo ebrius punitur. 66
BaiaZetes crudelis crudeliter afficitur à magno Tammurlane. 33
Barbarorum inſolentia quanta & qualis. 32
Barnabas & Paulus ſegregati. 126
Balthaſar vidit Dominum, & quomodo. 129
Balthaſar à ſuis interfectus. ibidem.
Balthaſar fuit caput in domo NabuchodonoZor. 147

Balac cur cõduxerit Balaã. 148
Baſiliſcũ cur nemo nutriat. 151
Baptiſma cur inſtitutũ. 124
Bella quorſum olim geſta. 29
Bellum quatenus licitum. ibi.
Bellorũ authores & cauſæ qui. 74
Bella Iſraelitarũ typus erãt pugnæ Apoſtolorũ cõtra Gẽtes. 137
Belli incommoda. 164
Benedictio Domini omne robur adfert, & victoriam de hoſtibus. 148
Beneficentia hominis ornamentum 47
Benignitate Dei diſsimiliter pij & impij vti ſolent. 46
Bethleem vbi ſita. 102
Bos laſſus firmius figit pedem. 140
Boues ſunt Doctores & Sacerdotes. 168
Breuitas vitæ quorum nos admonet. 38
Breue gaudium voratorum populi. 154
Briareus Gigas quis. 153
Brutus ſe interfecit, ne in triũphum traheretur. 32
Bruta naturaliter vitã amant. 162

C

Cain ſemper tremulus. 133
Calamitates Dei prouidentia, non caſu aut fortuna hominibus accidunt. 22
Callias vt Lacedæmoniorum animos ad pacis conſilia induxerit. 164
Caput Sathanæ virtus illius eſt & robur. 150
Captiuitas Arenæ quid. 31
Captiuitas cur Iſraeli accidérit. 149
Captiuitas Aegyptiaca durauit 400. annis. 161
Capt. Bab. durauit an. 70. ib.
Carmina Latina diuerſimodè nomina ſortiuntur. 91
Catilinarij ſunt hæretici patriam infeſtantes, ſicut Aſoti & prodigi. 74
Cauſæ tyrannidis & concuſſionis populi non tantùm in eis requirẽdæ qui huiuſmodi moliuntur, ſed in Dei iuſtitia et noſtra iniquitate. 113
Cæſar fleuit viſo Pompeij capite. 159
Chaldæorum nomine qui in hac Prophetia intelligi poſſunt. 22

Chal-

Chaldæi flagellũ furoris Dei. 23
Chaldæorũ vanitas circa Idola. 83
Chaldæorum latiſsimum imperium. 28
Chaldæi viderunt Perſas eſſe flagellum Dei. 128
Chaldæorum exultatio breuis. 154
Chaldæorum deiectionem propheta partim doluit; partim lætatus eſt. 158
Chaldæorum reprobatione ſapere debemus. ibi.
Charitas & pietas incipiant à ſeipſis. 167
Chriſtus conſtituto tempore venit. 96
Chriſtum cur pater miſit, aut pati voluit. 100
Chriſtum quomodo in carnem veniſſe dicimus. 101
Chriſtus nil ſcripſit, aut apoſtolis mandauit ſcribi, ſed prædicari. 58
Chriſtus ſuis illatam iniuriam vlciſcitur vt ſuam. 73
quando Chriſti maieſtas celata in humilitate. 106
ante Chriſti faciem ſermo quid. 107
Chriſti facies illuſtrior in mõte. 105
quando ante Chriſti pedes egreſſus Diabolus. 107
Chriſtus in iudicio ſtabit contra inſenſatos. 108
Chriſtus quotidie ſuæ præſentiæ argumenta porrigit, ſuos conſeruando. 110
Chriſtus eſt panis ſubcinericius. 114
Chriſtus quomodo bella ciet, cũ ſit pax noſtra. 125
Chriſtus dæmones ſpoliauit ac ligauit. 130
Chriſtus mitis vt agnus, terribilis vt leo. 140
Chriſtus contriuit caput Sathanæ. 150
Chriſtum ſuum .i. vnctum Regẽ aut ſacerdotẽ Domin9 comitabatur præliaturũ. 142
Chriſtiani ſunt vncti baptiſmo & ſpiritu ſancto. 144
Chriſtianorum imagines non omnino mutæ. 84
ad Chriſti effigiem miracula facta. 85
Chryſoſtomus de luteo Chriſti præſepio. 87
Chryſes Apollinis ſacerdos. 136

Chuſæ Reſethain Regis Meſopotamiæ furor. 113
Choſroë Perſarum rex. 135
Cicero quos condamnet. 90
Circe venefica. 65
Clementia Theodoſii. 47
Clementis Alexandrini de diuitiis ſententia. 70
Cleopatra ſe interfecit. 32
Clodoueus quondam mons. 130
Clodouei exercitui Deus per aquas viam fecit. 117
Collium & montium nomine qui ſignificētur. 110. & 112
Collibus quàm montibus facilius parcitur. ibi.
Collum quid. 147
Conſtantini graue dictum. 17
Conſtantinus prauidit ex quæſtionibus magnum fidei impendere periculum. ibi.
Conſtantini Zelus pro conſeruatione veræ doctrinæ. ib.
Cōſtantini erecta ſtatua qualis. 115
Conſtantinus Conſtantinopolim ædificauit. 163
Conſtantinus quando eccleſiam ad portum adduxit. 131
Comminationes diuinas irridere damnoſum. 61
Conſideratio operum Dei ſtuporem parit. 93
Conculcari quid. 140
Conturbatus venter quid. 158
Compatiendum hoſti afflicto. 159
Coli terra debet Dei ordinatione. 164
Corpora robuſta diſſipantur ſocordia. 165
Coruinum cras noxium. 156
Cornua regna deſignant. 105
Cornu Chriſti regia dignitas eſt. 105
Cornua in manibus Chriſti .i. omnia iura regnorum. ibid.
Cornu pro ſuperbia. ibi.
Cras corui contrarium gemitui columbino. 156
Craſſus à Parthis auro potatus. 72
Cræſus inſoleſcens diuitiis arguitur. 35
Creaturæ mutæ deteſtantur inhumanos. 77
Craterus ab Alexandro honoratus. 153
Crudelitas vincentium in victos. 33
Crudelitas Tammerlanis in

Baiazetem. ib.
Crux Chriſti ab idolis diſcreta. 44
Crux chriſti altare noſtrum quo ille ſe obtulit. 106
Cuſtodes ſepulchri pecunia corrupti. 130
Cyprianus mons quandiu magus. 130
Cyrus iuſſus interfici. 134
Cyrus præliaturus cõtra Chaldæos habuit Deum ducem pro liberatione Iſraëlis. 143
Cyrus chriſti typus. ib. & 60
Cyrus & Aſſuerus Deum verum confeſſi ſunt. 80
Cyrus & Darius deſtruxerunt Babylonios. 2
Cyrus à mancipio beneficium accepit. 71
Cyrus à Thomyri interfectus. 72
Cyri in Crœſum clementia. 81

D

Daniel ſacrilegam temeritatẽ Balthaſaris arguit. 129
Daniel leonibus obiectus, ſed illæſus exijt. ib.
Daniel horrore & terrore correptus. 158
Darius & Cyrus deſtruxerũt Babylonicũ imperium, ac Iſraëlitas liberarunt. 2
Darius accepit Balthaſaris caput in munus. 66
Darius verum Iſraëlis Deum confeſſus eſt. 80
Dauid defleuit Saulem mortuum. 159
Dauid vt effugerit gladium. 165
Dæmones doluerunt videntes chriſtum reſurgentem. 130
Dæmones & Donatiſtæ non iuſtificati fide, & cur. 62
Dæmonibus fugientibus à nobis accedunt boni Angeli. 125
Deus pœnis temporalibus ſuos coërcet, ac ad pœnitentiam reuocat. 1. et 20. et 38. et 41
Dei beneficio pij ex afflictionibus emergunt. 1. & 39
Deo fidendum, nõ hominibus. 38
quòd Deus non citò exaudiat, bonitatis eius eſt indicium. 5
Dei reſpicere diuerſum. 45
Dei imago princeps. 26
Deus impiorum miniſterio ſuos caſtigat, ſed non probat illorum impietatem. 31. 36. 41

Deus ſuos non patitur diu hærere perplexos. 57
Deo diffidentes ac deſperãtes, eidem diſplicent. 62
Deus vt eſt ſuis propitius, ita cõtemptoribus eſt terribilis. 92.
Dei timor nobis vtilis. ibid.
Deus ſimul iratus & miſericors. 97
Deus quomodo dicatur alicunde venire. 101
Deus quomodo dicitur elongari à ſuis. ibid.
Deus quomodo vbique, & alicubi. ibid.
Deus cùm dicitur venire, non mouetur localiter. ibid.
Deus quolibet rege terribilior. 133
Deo adiutore, non propria virtute Iſraëlitæ vicerunt Amorrhæos, & Perſæ Chaldæos. 136
Deus quandoque terribilis. 139
Deus quomodo terrã impleat & per eam ambulet. ibid.
Dei deſcenſus in terram quid. ibidem
Deus egreſſus eſt ad eos qui nõ poterant ad illum ire. 144
Deus quomodo egreſſus cum Chriſto. ibid.
Deus cur ſtragem immiſerit Ægyptijs & Chaldæis. 148
Deus ingratos abiicit, & virtutem frangit. 151
Deus quod Prophetis deerat, adiecit. 155
Deus omnia noſcit, iudicat & obſeruat. 109
Deus in momento mare concutit & ſedat. 115
Deus iraſcitur inanimatis propter homines. 116
Deus cur dicitur aſcendiſſe ſuper equos. 117
Deus regnorũ moderator. 118
Deus cur Gentium imperia cõſeruarit. 119
Deus ſeruis ſuis infundit gratiam feruidè lõquendi. 126
Deus quandoque affligit in corpore, quos animo exhilarat. 127
Deus è longè minatur. 57
Dei ira valde extimeſcẽda. 56
Deploranda piis eſt religionis veræ et patriæ deſolatio. 160
Dionyſij epiſtola ad Demophilum. 122
Diuites aliena inuadentes ſimiles ſunt noxiis animalib. quæ homines auerſãtur. 152

Diues omnis aut iniquus, aut iniqui hæres. 113
Diuitiæ ſerpenti ſimiles. 70
Diuitiæ & honores luto comparantur. 69
Diuina iudicia humanis iuſtiora. 77
Diſſoluere metaphoricè ſumptum. 110
Dominus obediēti populo ſemper affuit ituro ad prœliū, re belli verò defuit. 143
Dominus quandoque dicitur fluuius. 8
Dogmata falſa ſunt idola. 88
Domitiani acta reſcinduntur. 130
Domitianus inquiſiuit de poſteritate Dauid vt interficeret. 111
Doctrina Moſis lumē ſubobſcurum. 105
Doctrinæ Chriſti & Moſis collatio. ibid.
Doctoris munus tempore perſecutionis. 115
Domus Sathanæ mundus. 150
Draco dedit Antichriſto virtutem ſuam magnam. 150

E

EBrietas dēteſtanda. 64
Ebrietatis damna. 65
Ebrietas gloriæ ſitibunda. 66
Ebrio aquis maris ſalſi ſupereſt ſpes remiſsionis. 157
Eccleſia ad tempus tantū opprimitur. 131
Eccleſia afflicta Dei beneficio conſeruatur. 39
Eccleſia cur Dei ordinatione cruci obnoxia. 41. 42
Eccleſiæ perpetuitas. 39
Eccleſiæ tribulationes quorſum ſpectent. 41
Eccleſiarū prædatores aliquando ſpoliabuntur. 72
Eccleſia expectat curationem à medico, & triumphum à victore. 99
Eleazari filios num flamma conſumpſerit. 122
Eliachim & Sobna Scribæ. 90
Egreſſus Dei ad prælium cum populo. 142
Egreſſus eſt Deus cum exercitu Perſarum aduerſus Chaldæos, vt liberaret populum ſuum. 143
Egreſſus eſt Deus à tēplo Moſaico et ceremoniis, & cur. 144
Equi ſuper quos aſcendit Dominus qui. 120
Equorum diuerſa acceptio. ibi.
Equites armati in aere viſi. 119

Epiphanij de Habacuk teſtimonium. 2
Eſaias crebrò Oneris *titulo præfatur.* 4
Eſaias ſe labiis immundum cauſabatur. 154
Eſdras, Nehemias, Zorobabel viri præclari. 159
Euilmerodach captiuis propitius fuit. 41
Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi de Leonis fremitu opinio. 140
Euſebij teſtimonium de admittendis ad ſacram communionem. 91
Euſebij de Chriſti Regno ſententia. 105
Euphrates in multos riuos diuiſus. 117
Euphrates cur vocetur mare. 154
Exercitus Sennacherib, Rabſacis & Nabuchodonozoris deſcribitur. 117
Exercitus Chaldæorum & turbinis comparatio. 149
Exercitus Cyri & Darij fremitus. 140
Exercitatio conducit augendo corporis robori. 165
Exiſtentibus in aduerſitate cõfugiendũ ad Dei miſericordiã nobis ſemper obuiã. 157
Exultatio Chald. breuis. 154
Ex bello pendet oppreſſio agricolarum. 164
Extollẽs ſe facile deiicitur. 135
Ezechiel vocat Nabuchodonozor Dei gladium. 123

F

F*Acere* Dei *quid aliquando ſignificet.* 46
Fama punitionũ diuinarum parit in cordibus fidelium timorem. 93
Fames vix vitatur fuga. 165
Famis miſeria maxima. ibid.
Fames verbi Dei *& ſitis.* 168
Fauor humanus facilè in odiũ conuertitur. 146
Feras cur aliqui demulceãt. 151
Feritas nulla maior inter animãtia quàm inter piſces. 46
Fertilitas agrorum vnde. ib.
Fides curioſas quæſtiones neſcit, ſed credit. 16
Fidei cauſa magni mot⁹ à Gallis cõtra Arianos excitati. 18
Fidei certitudo traditione & ſcripto confirmatur. 57
Fide ſola non iuſtificamur. 62
ad Fidem accedit ſpes, & ad infidelitatem deſperatio. 61

Finis idem manet hæreticos, ſchiſmaticos ac Turcas, qui olim perſecutores Eccl. 2
Filius eſt fundamentum domus paternæ. 147
Filius patris imago. ibidem.
Filij Achab occiſi à Iehu. 111
Filij ſunt fundamentum paternæ conſolationis. 146.147
Fortunæ templum cur Romæ admiſſum. 148
Fortunæ non aſſcribendus belli euentus, ſed Deo bene diſponenti. 148
Fortuna olim rotæ comparata. 145
Fortunæ inconſtantia. ibid.
Fortunæ volubilitas etiam Regibus timenda. 67
Flagellum Dei terror ingens. 31
Fluminis nomine gratiarum dona ſignificantur. 116
Flamma conſumpſit filios Eleazari. 122
Fluuij diuiſi, diuiſa gratiarum dona. 126
Franci ad Sicambros originẽ referunt. 163
Franci contra Alanos pro Romanis bella geſſerunt & vicerunt. 163
Fruſtra impij tentant fuga ſaluari. 27
Fremitus quid propriè. 140
Fremitus exercitus Cyri & Darij. 140
Fremitus Apoſtolorũ & maximè Pauli. ibi.
Fuga Dauid, Pauli & Athanaſii. 165
Fundamentum pro exercitu. 147
Fũdamẽtũ Diaboli quod. 150

G

GAbaonitæ fœdus percutiunt cũ Iſraele. 135
Galli tumultuantur pro fide contra Arianos. 18
Gaſpari cuidam Deus miſit Angelum ducem. 117
Galba occiſus à Vitellio ſucceſſore. 146
Galilæi erant Apoſtoli. 141
Gedeon dux à Deo deſignatus. 145
Gemitus columbinus. 156
Gentium ſtupor & terror euerſis earum idolis. 140
Giezi cur lepra percuſſus. 79
Gloria domini elucet impiorũ

euerſione. 80
Gladius Gedeonis. 114
Græci ſpoliati à Romanis. 72
Germani ſpoliarunt Romanos ipſi à Turca ſpoliandi. 72
Grauior Regum & Principũ quàm ſubditorum pœna. 111
Grandines quandoque fiunt miniſterio malorum ſpirituum. 135
Gregorius de Imaginib⁹ Chriſtianorum. 84
Gyganti ſol confertur. 135
Gygas Briareus quis. 153

H.

HAbacuk typus fidelium oppreſſorum liberari cupientium. 1. & 9.
Habacuk quis, quo tẽpore, quib⁹ prophetauerit, quidue titulus vaticinij eius ſignificet. 2
Habacuk ſibi & omni populo miſericordiam implorat. 89
Habacuk prædicit captiuitatẽ Babylonicam, & libertatem ſucceſſorum. 89
Habacuk non tam miratur ſui populi captiuitatem & libertatem, quàm hominis ſeruitutem & per Chriſtũ liberationem. 93
Habacuk edoctus ab Angelo. ibi.
Habacuk ſuorum animos ad Deum erigit. 115
Habacuk exprimit triumphũ Apoſtolorum per ſimilitudinem. 137
Habacuk partim gauiſus eſt, partim doluit Chaldæorum deiectione. 158
Habacuk ſæpe non in ſua, ſed populi perſona loquitur. 160
Harpagus iubetur interficere Cyrum. 134
Helyas & Heliſæus nihil ſcripſerunt. 58
Helias quomodo ſurſum & deorſum. 110
Helotæ Ebrioſi ridiculi. 65
Hebræorum liber dictus mundi ſeries. 2
Hephæſtion Alexandro chariſſimus. 153
Hæretici venenum calici miſcent, cùm ſcripturam deprauant. 81
Hæreſis ab animi elatione. 61
Hæreſis prima quæ. 57
Hæreticorum propriũ deſtruere, non ædificare. 55
Hæreſis vnde pendet. ibi.
Hæreticorum bellantium do-

loſus prætextus. 29
Hæreſis eſt aqua itineris. 131
Hæretici quandoque dicuntur Idola. 88
Hæretici vocantur nubes turbinis exagitatæ, & cur. 149
Hæretici pro fundamento falſo, videntur habere ſcripturas, veritatẽ & religionẽ. 150
Hæretici quomodo diſpergunt. 151
Herodes ab Angelo percutitur. 135
Herodes à vermibus afflictus. 71
Hieroboã à populo derelictus. 71
Hiram Rex Tyri dedit induſtrium artificẽ, & ligna ad ædificationem templi. 78
Hieronymi de Habacuk teſtimonium. 2
Hieronymus ſemper iudicium formidabat. 141
Heſiodus. 118
Hieremias detractabat prædicationis onus. 155
Homerus. 118
Homines omnes rei coram Dei tribunali. 89
Honores & diuitiæ luto comparantur. 69
Horti penſiles Babyloniorũ. 30
Homines nullius animi dicũtur domi ſtare. 137
Hoſti afflicto cõpatiendũ. 159
Humilitatis præconium. 66
Humanum ingenium ad vindictam quàm ad gratiam procliuius. 44
Hyenæ & Phocæ fel & coagula quorũdã animalium fœtidorũ vtilia ad morbos ſanandos. 123
Hydræ caput vnum fruſtrà reſectum cæteris remanentibus. 128

I

IAcob tranſiit Iordanẽ baculo. 151
Iechonias è carcere eductus honoratur. 41
Iehouah nomẽ ſolius Dei ſummum & myſticum Latinè verti non poteſt. 92
Ieſus ſic vocatus vt ſeruet vnctos ſuo ſanguine & ſpiritu ſancto. ibi.
Iehu occidit 70. filios Achab. 111
Ignis & fulgura miniſtri Dei. 117
Imaginum & idolorum differentia. 84

Imaginum propugnatio. ibid. & 85
in Imagine non materia, ſed prototypus attendi debet. ib.
Ignorantia quædam in plebe peccante. 90
Ignoranter peccantium leuior culpa. 91
Impij fruſtra fuga euadere putant. 27
Impij ſunt flagella iræ Dei. 31
Impij non pœnas ideo effugiet, quia Dei miniſtri fuerũt. 42
Impij nomine Nabuchodonozor & potentiores ſignificãtur. 45
Impij ſæpè corporaliter & ſpiritualiter à Deo corripiũtur. 130
Ingratos Deus abijcit, & induratorum virtutẽ frangit. 151
Incuruati quid. 112
Indignatio & propitiatio Dei in mari. 116
Iniquitas valde Deo ingrata. 92
Iniurias ſuorum Deus vlciſcitur. 73
Iniuſtitia quorundam nobilium. 78
Inſolentia Adonizebech caſtigata. 32 & 33
Inſolẽtia barbarorũ qualis. 32
Inuentores ſubſidiorum plebẽ deuorant. 153
Iordanis aquæ intumeſcentes quid. 116
contra Ioannem tyrannum miſit Deus Angelum viæ præmonſtratorem. 117
Ioſaphat Regis præclara confeſsio. 136
Ioſue vicit 5. Reges. 110
Ioſue ſoli imperauit ne moueretur. ib.
Ioas abſconſus à Ioada. 111
Ioadas. ib.
Ioannes Bapt. nihil ſcripſit. 58
non defuit de ſemine Ioab ſanguinem mittens, & cur. 79
Ioſephi de populi ſui deiectione teſtimonium. 91
Ira Dei vehementer extimeſcenda. 56. 57
Ira Dei in flumina, 116
Iſocrates Helenæ raptum defendit. 16
Iudices iudiciorum dilatores deuorant plebem in abſcondito. 153
Iudicij expectatio terribilis. 141
Iudicium ſemper formidabat Hieronymus. ib.
Iudicij diuini terrore Paulus

Dionyſium & alios nō paucos expiſcatus eſt. ib.
Iudicia diuina humanis iuſtiora. 77
Iudæis renuentibus vngi & ſaluari, nos Dei populus facti ſumus. 144
Iulianus apoſtata comparatur Nabuchodonozor. 38
quo cōſilio Iulianus ſectas permiſerit. 16
Iulianus pius in pauperes & hoſpites. 153
Iulianus & eius auunculus Chriſtum victorem fatentur. 132
Iurans ſcienter falſum per falſum quem putat eſſe verum blaſphemat. 119
Iuſiurandum ſeruat Deus nō obſtāte hominū perfidia. 124
Iuſiurandum Deus impleuit in cruce. 126
Iuſtus ex fide viuit, quomodo intelligendum. 63
Iuſtè propter peccata ſuperiorū plectuntur inferiores. 44
Iuſtus impiorum reprobatione viſa timet. 158
Iuſtini Oratio ad principes & magiſtratus ne populum opprimerent. 47
Iuſtinus ante conuerſionem mons erat. 130
Iuſtini Apologia pro Chriſtianis. ibi.

L

Lapides & ligna domorū accuſant Tyrānos. 77
Lazarus viſus in ſinu Abrahæ. 127
Læſa patientia furor. 71
Lentè punit Deus, ſed grauiter. 3. & 19
Leonis nomen tributum Chriſto. 140
Leonis rugitus cæteris animātibus terribilis. 139
Lex eſt principis opus. 26
Lex principem oſtendit magis quàm ſceptrū aut fulmē. ib.
Lex naturæ. 72
Lex ſpiritualis quando apparuit. 138
Lex data populo egreſſuro ad præliandum. 141
Liberatio diuina etſi tarda, tamen certa. 60
Libertas fidelium adumbratur ſub typo euerſionis Babylonis. 89
Lex nulla quantumuis iniqua caret patrono. 16
Luſus ac profuſionis detri-

menta. 74
Lutum concupiſcentiarũ. 155

M

MAcedones ſpoliati à Romanis. 72
Macrinus imperator à ſuis occiſus. 146
Madianitæ Iſraelitas oppreſſerunt. 112
Magiſtratus impij etiã à Deo dantur, & cur. 119
Magi agnouerunt Dei digitum. 128
Magnum conſiderare Dei mirabilia in exterminatione impiorum, ſed maius eiuſdem conſiderare miſericordiam. 94.97
Maieſtatis diuinæ cælum incapax. 104
Maieſtate Dei omnia plena. ibidem.
Maieſtatem vultus cur Deus principibus confert. 139
Manaſſes crudeliter affectus ab Aſſyriis. 33
Manaſſes captiuus à Benmerodach liberatus. 41
Maledicta omnia ſanguine iniuſtè fuſo parta. 78
Maledictus qui confidit in homine. 137
Maledictio Dei potentibus omnia adimit. 148
Maledictio Dei belli euentum infauſtum adducit. ibid.
Maius torqueri animo quã corpore et iactura tẽporaliũ. 127
Manus pro poteſtate. 105
Manichæi Chriſtum dixerunt in ſolem receptum. 134
Maria quædam filium coxit in eſcam. 166
Marius ſua ſæuitia quorumdã vitiis medicatus eſt. 123
Mare ſeculum electis inimicum. 154
Manſuetus Chriſtus Zelatus eſt pro domo patris. 161
Maris nomine impii ſignificantur. 116
Maſculi cur potius quàm fœminæ interfecti. 147
Maßilienſes quam regionem elegerint inhabitandam. 163
Maximinus ſæuiit in Chriſtianos. 131
Maximini duo declarati ab exercitu imperatores, ab eodem trucidantur. 146
Medi & Perſæ ſpoliati ab Alexandro. 72
Medicus non ſtatim optimus qui ſæuißimus. 121

Meditatio diuinæ vindictæ hominem concutit. 158
Metaphora aquarum. 80
Miniſtris Eccleſiæ victus debetur. 168
Michæus veridicus irriſus ab Achab. 61
Miſericordiæ diuinæ & humanæ diſsimilitudo. 45
Montes ad quos recurrendum, ſunt ſcripturæ & illarum veri interpretes. 55
Morborum qui periculoſiſsimi. 56
Mors quies homini & ceſſatio. 160
Moſes timebat prodire coram Pharaone quia blæſus erat. 155
Moſes quandiu manus extollit vicit populus: vbi depreſsit, ceſsit hoſtibus. 143
Moſes manus extollens, typus Chriſti. ibid.
Mulieres de vorandis filiis conueniunt. 166
Mundus atrij nomine deſignatus. 150
Muſcæ grandiores euolant minoribus implicitis. 152
Myro & Clyſtenes Sicyoniorum laſciuiã repreſſerũt. 123

N

NAbuchodonozor Tyrannus. 25
Nabuchodonozor miranda mutatio. 34
Nabuchodonozor punitio & reſtitutio. 36. & 66
Nabuchodonozor reſipuit & pios coluit. 41
Nabuchodonozor impij nomine deſignatur. 45
Nabuchodonozor piſcator. 48
Nabuchodonozor quomodo pro Deo honorari voluit. 49
Nabuchodonozor Sedechiam veneno ſuſtulit. 81
Nabuchodonozor bibit calicẽ furoris Dei. 81
Nabuchodonozor mons inter Chaldæos. 129
Nabuchodonozor quid viderit in fornace. 129
Nabuchodonozor edictum reuocauit, ac aliud in Dei gloriam pronunciari iuſsit. ibi.
Nabuchodono. impietas multifaria. 148
Nahum Oneris *titulo præfatur.* 4
Nemo in anguſtia debet deſperare. 63

Nemo impunè læſit Chriſtos Domini. 155
Nemo ſe latronem profitetur. 152.
Nemo ſuo, ſed Dei beneficio ſtat. 158
Naturaliter quiſque vitam amat, & odit contraria. 162
Niniuitarum Rex & populus audita prædicatione reſipiſcunt. 61
Nitimur in vetitum. 90
Nobilium quorumdam impietas. 78
Nero Senecam ditat & interficit. 154
Nubis nomine quãdoque Spiritusſ. ſignificatur. 117
Numantina fames quanta. 166
Numantini Romanos venabantur ad eſcam. ibid.

O

Officium prælatorum & principum. 51
Officium Sacerdotis populo egrediente ad prælium. 142
Officiarij principum fortunæ flatibus obnoxij. 146
Officiarij ſpongiæ ſimiles. ibi.
Og Rex Baſan victus à Ioſue. 110
Oculus eſt rei viſæ, quod auditus rei intellectæ. 158
Ochozias lepra percuſſus. 122
Oliua ſterilis myſtice ſignificat Phariſæos & Saducæos. 167
Oliuæ fructiferæ comparãtur miſericordes. 167
Optatus perſtringit ſacrilegiâ hæreticorum. 30
Orbis partitio in tres fratres. 101
Orare debemus omnes. 89 & 91
Oratio Habacuk. ibid.
Oratio pro vtroque ſtatu Chriſtiano. 145
Orpheus ex literis ſacris multa hauſit. 118
Orthagoras ſua tyrannide profuit oppreſſis. 123
Oſcitantia ſpeculatoris pernicioſa. 51
Otho Maguntinus præſul conſumptus à muribus. 71
Ouile eſt Eccleſia. 167
Oues errantes Chriſtus reducit, ægras curat, & paſcua præbet neceſſaria. 127
Oza percuſſus à Domino, &

tur. 122

P

Palæſtini ſpoliati à Babylonijs. 72
Palæſtinæ vbertas vnde. 30
Panis ſubcinericius Chriſtus. 114.
Parentes indulgentiores funē filijs contexunt. 75
Parentes filiis quid theſaurizare debeant. ibid.
Parentum indulgentiorū quāta miſeria. ibid.
Pardus furioſus & ſanguinis ſitiens. 27
Paſtorum negligentia multi recedunt ab Eccleſia. 167
Patroni tot ora habēt, quot partes contrarias amplectuntur. 153
Patientia læſa furor fit. 71
Paſtoribus bene precandum vt officium præſtent. 56
Patria nihil viro bono charius 160
Pro patria pugnandum. ibidem.
Paulus & Barnabas ſegregati. 126
Paulus mons erat ante conuerſionem. 130
Paulus Dionyſium & alios quomodo conuerterit. 141
Pauli ſpiritus excitatus viſa Athenienſium idololatria. 140
Pauſanias victoriis inſoleſcens à Simonide arguitur. 35
Pecus ouilis quando abſcinditur. 167
Pecudum nomine qui intelligantur. 168
Peccatum diuitis magis quàm veritas pauperis ſæpe defenditur. 16
Peccata hominum non ex Deo. 40
Pecatum eſt ſæpe peccati pœna. 43
Perniciosſum Reipublicæ voluntate pro ratione vti. 26
Peßimum verbo Dei detrahere. 51
Perſæ & Medi ſpoliati ab Alexandro. 72
Periculoſa ſpes longioris vitæ. 156
Peccatores naufragi triſtißima facies. 157
Peſtis vnde generatur. 166.

Pœnarum iuſtis & impiis illatarum diuerſus exitus. 44
Petrus tremulus ſuper aquas, typus omnium in fide infirmorum. 149
Petrus timebat congredi gentibus. 155
Pharao contra Deum elatus percuſſus eſt. 146
Pharaonẽ cur Deus mergi voluit. 36
Pharao ſpiritualis Sathã. 116
Phalaris vt ſanauit Agrigẽtinos. 123
Pharan & Theman montes vicini monti Synai. 101
Pharan oppidum trans Arabiam. ibid.
Pharan vnde ducitur. 102
Phariſæi & Scribæ montes erant. 130
Phœnicis cineribus alius excitatur. 147
Pietas & charitas à ſeipſis incipiant. 167
Piis diuinæ cõminationes ſunt dulces quæ rebellibus ſunt duriſsima flagella. 3. & 4
Piorũ patientia quãdoque tẽtationum magnitudine concutitur. 6. & 44
Pij cur impiorum tyrãnidi ad tempus expoſiti. 41. & 42
Pius non recedit à Deo propter dilatam malorum vltionem. 121
Pindarus quomodo Deum vocet. ibid.
Piſces minores ſunt grandioribus eſca. 46
Piſcatores in bonam & malã partem. 48
Piſcibus & araneis raptores comparantur. 152
Plebs facilè tumultuatur. 71
Plebs concitata quid effecerit. ibid.
Plebis voratores in abſcondito qui. 153
Plutarchi liber De ſera numinis vindicta. 121
Pluit lapidibus orãte Ioſue. 135
Populus non ſemper oppreſſus fuit ab hoſtibus, ſed ſubinde reſpirauit. 161
Populum ſuum Deus pœnis probat, non reprobat. 40
Poteſtates huius aëris montes erant. 129
Prælatorum præſentia gregi neceſſaria. 52
Prælatorũ excuſatio futilis. 54
Primogenitus Pharaonis occiſus eſt. 146

Priamus

Priamus iuſsit interfici filium Paridem. 134
Principes violenti in quibus eſt pro ratione voluntas. 25.26
Princeps Dei imago eſt. 26
Principum vultum cur Deus maieſtate ornat. 139
Principes ſæpè proſperis intumeſcunt. 128
Principum permulti ſuam nobilitatẽ ad Troianos referũt. 163
Propheta dicitur vidẽs. 5. et 158
Prophetarũ verba ferè ad omnium ſeculorũ homines pertinent. 59
Prophetæ non omnia viderũt oculis corporeis. 5
Prophetia cõtempta adducet deſolationem. 26
Prophetæ omnes Dei miſericordiã implorarunt. 89
Prophetia cur dicatur onus. 3.

Q

QVi imperat, meminiſſe debet ſe eſſe hominem. 35
in omni Quæſtione recurrendũ ad Deum, Prælatos ac Theologos. 55
Quæ pauperum ſanguine madeſcunt, non diuturna. 80
Quadrigæ ſunt quatuor Euangeliſtæ. 125
Quorſum quidã Leones demulceant. 151
Qui pro patria occubuerũt, immortalitatẽ ſũt aſſecuti. 161
Qui dicũtur liberi Rerũpubli. fundatores. 163

R

RAbbi Ionathæ de Habacuk opinio. 2
Rabſacis inſolentia. 32
Radii ſolis vt ſe in cœnum & cæram effundant. 46
R. Salomonis de oratione Habacuk ſententia. 89
Raptores ſimiles magnis piſcibus & araneis. 152
Ratio eadem affectuum apud homines & actionum apud Deum. 25
Razias mori quã in triumphũ duci maluit. 32
Regnum Aſſyriorum quando labi cœpit. 20
Regna & Imperia Dei prouidẽtia ſtant aut ruunt. 23
Regna per cornua intelligũtur 105.
Regna tranſferuntur propter impietates. 119
Regis eſt tueri iniuria affectos & vlciſci. 47

Rex Niniue reſipuit audito Propheta. 61
Regum idololatrantium exitus funeſti. 123
Rex Aſſyriorum typus Sathanæ. 124
Rex cur ſceptro donetur. 133
Reges quinque ſuſpenſi. 135
Regis ira ſimilis fremitui leonis. 139
Rex vmbra Dei eſt. ibi.
Reges cũ ſuis officiariis fortunæ incõſtantiæ obnoxij ſunt. 146
Regũ amici teſſeris ſimiles. 154
Rebus ſecundis inflati, veloces ſunt ad fundendum ſanguinem. 46
Receptoriũ Briareæ manus. 153
Reipub. ſtatus tres. 110
Roboam exactor ſæuus nõ tamẽ omninò regnũ perdidit. 123
Roma potuit ab Annibale capi poſt Cannenſem cladem. 147
Romani ſpoliati à Germanis. 72
Romanorum triumphantium faſtus. 32
Rugitus leonis brutis animantibus terribilis. 139

S

SAcerdotis officium. 142
Sacrificia Iudaica impediẽs Nabuchodonozor punitur. 82
Sagena & rete quid ſignificent. 48
Sagittarum nomine quid ſignificetur. 136
Salmoneus ſoli ſe comparabat. 135
Salomõ non fuit eiectus regno. 123
Sanguinis iniuſtè fuſi vltio. ib.
Sathan cruciatur hominis redemptione. 127
Sathanas impietatis pater. 149. & 150
Sathan exultat in caſu hominum. 154
Sardanapalus Aſſyriorum imperium luxu perdidit. 20
Sardanapal⁹ eiectus regno. 71
Saul à ſuis interfici quàm in hoſtiũ manus venire viuus malebat. 33
Saul temerè ſe extulit & Amalech pepercit. 35
Saulem defleuit Dauid. 159
Securitas certa in ſolo Deo repoſita. 50
Scripturæ deprauatio potus eſt venenatus. 150
Scriptura velamẽ fraudis diabolicæ. 150

ſcriptura nõ minus vtilis quã vox viua. 57
Sceptra Sathanæ principes tenebrarum. 151
ſcripto mandari voluit Deus credenda, & quorſum. 57. 58. 59.
ſcriptura quandoque rebus inanimatis ſenſum tribuit. 128
ſcripturæ ſunt iacula cõtra hæreſes. 126
ſedechias falſidicus honoratur ab Achab. 61
ſcythæ quondam ſoliuagi, nũc vrbicolæ. 23
ſemiramidis delitiæ. 30
ſedechias Rex veneno potatus. 81
ſedechias fruſtra tentauit fuga ſaluari. 27
ſedechiæ cornua quid ſignificent. 105
ſennacherib punitio. 36
ſentẽtiæ variæ de oratione Habacuk. 90
ſententiam pro Moſe non mutauit Deus, ſed pro populo. 90
ſeon Rex Amorrhæorũ victus à Ioſue. 110
ſeneca iuſſu Neronis interfectus. 154
ſimonidis quid Deus eſſet reſponſum. 93
ſimonides Pauſaniam inſoleſcentem arguit. 35
ſolis vis magna. 107
ſol ſtetit ſub Ioſue, & retrogreſſus eſt ſub Ezechia. 134
in Sole mutationes quid portẽdebant. ibid.
ſol ſtetit in habitaculo ſuo Chriſto moriente. 137
ſolem quidã putarũt eſſe Deũ. 134
ſolis externi ad Chriſtum ſolẽ iuſtitiæ comparatio. 110
ſoli Ioſue imperauit. ibi.
ſol iuſtitiæ Chriſtus in altum ſublatus eſt. 138
ſol iuſtitiæ ſtationem inuenit in cordibus hominum. ibid.
ſolon inſoleſcentẽ diuitiis Crœſum corripuit. 35
ſpes ad fidem accedit. 61
ſpartanorum mos ad diſſuadẽdam ebrietatem. 65
ſplendor doctrinæ Chriſti admodum coruſcans. 105
ſpeculatoris oſcitantia pertimeſcenda. 52
Sultanus ſelimus crudelis in ſoldanum Cairi. 33
ſymmachus & Theodotio ſemichriſtiani errori Iudæorũ

de Chriſto fauent. 145
per Sybillas Deus minatur imperiorum mutationes. 57
Superbia perſtringitur. 65

T

TAmmurlanes flagellum furoris Dei. 22
Talpa in morte oculos aperit: ſic peccator in afflictione. 126
Tarquinius in obſidione Ardeæ quid fecerit. 128
Terra inculta producit labruſcas. 164
Terror ingruentis exercitus hoſtilis eſt argumentum diuinæ vindictæ. 125
Temerarium hominum de Deo iudicium. 95
Tempora pro annis & pro ſtatu rerum. 118
Tertullianus ad Scapulã. 130
Teſtamentum diui Remigij. 18
Timor Dei in nobis optimus. 92
Timor quandoque ſignificat ſtuporem. 93
Timendus præ cæteris Deus. 29
Timendum eſt ei qui ex imis ad ſumma malis artibus euehitur. 145.146
Thecuitis viduæ querela. 147
Theſaurariorum & Receptorũ Briareæ manus. 153
Theodoſii clementia & facilitas. 47
Theodoſius in bello ventorum flatibus adiutus. 136
Theodotio & Symmachus Hebionitæ iudaizantes. 145
Theologia abducit à tranſitorijs, & erigit in ſpem meliorem. 55
Thomyris Cyrum interfecit. 72
Thomas recuſabat ire ad Indos. 155
Theman quæ regio. 101
Theman & Pharã mõtes vicini monti Synai. ib.
Totilas fame premit Romanos. 166
Traditione ſola fides manauit ad poſteros vſque ad tempora Moſis. 57
Tranſmigrationem in patriam cæleſtem expetere debemus. 163
Tres immundi ſpiritus in modum ranarum. 155
Triumphantes Romani admonebantur ſuæ conditionis. 50
Triptolemus docuit agricul-

turam. 164
Turbinis & exercitus Chaldæorum comparatio. 149
Tyrãni & Barbari quibus ſunt ſimiles. 152
Tyrannis peccati ab Adam ad Chriſtum. 161
Tyrannus nõ poteſt inuito Deo nos captiuare, aut captiuos liberare. 116
Tyranni ſunt flagella furoris Dei. 22.23
Tyranni quondam dicti principes, ſed quorſum mutata ſignificatio. 32
Tyrus quomodo capta. 33. & 34.

V

VAlens *Imperator Arianus crudelis.* 38
Veritas prima à Deo pendet. 55
Veritas & gratia per Chriſtum. 105
Verbum Dei penetrabile. 126
Veſtimenta chriſti alba ſicut nix. 105
Verbum Dei contemptum præſagit futuram deſolationem. 26
Venetia quando extrui & habitari cœpit. 163
Veſpas & fucos perſequimur, apes requirimus. 152
Viciſſitudo rerum. 31. & 127
Vigilantia Paſtoribus neceſſaria. 53
Violentia non diuturna. 64
Vinum dulce, ſed pernicioſum. 65
Viliores æſtimati ſæpe ſunt cæteris vtiliores. 71
Vis præcipua olim in arcubus. 121
Viſio Prophetarum qualis. 5
Vitioſi affectus in deorũ numerum relati. 49
Vita noſtra peregrinatio eſt. 162
Viperam cur nemo nutriat. 151
Vitellius Imperator ſalutatus ab exercitu, à quo tandẽ turpiter occiſus eſt. 146
Vis armorũ tribus conſtat. 148
Virtus præcipua verbo Dei credere. 60
Viſio Moſis in Eremo & Helyæ in Carmelo qualis. ib.
Vinea Domini domus Iſraël & Iuda. 166
Vineæ in plurali ſignificant particulares Eccleſias. ibi.

Vlyßis ſocij quomodo mutati. 64.65
Voratores plebis in abſcondito, qui. 153
Voratorum populi & porcorum idem exitus. 154
Pro vita tuenda eſt exilium dulce. 163

X

Xerxes à nauta beneficio affectus. 71

Z

Zacharias ſemel atque iterum Oneris *comminatione vſus eſt.* 4
Zelus prophetæ cladem communem velut propriam deplorantis. 149
Zelus Apoſtolorum erat quidam fremitus. 140
Zelus Chriſti eiiciendo vendẽtes & ementes in templo. 141.161
Zelus Helyæ. ibid.
Zelus concionatorum erga auditores. ibid.
Zelus Ioannis Baptiſt. ibid.
Zelari debemus contra templorum deſtructores. ibid.

FINIS.

7-3

Laboratorio
Restauro
Pandimiglio
ROMA

1969